


UNIVERSITY OF TORONTO



3 1761 00886539 6

PA
4450
S92
1912
c.1
ROBARTS

19
70347
YSE

Theophrastus

DE THEOPHRASTI
VIRTUTIBUS DICENDI

SCRIPSIT

Johannes
IOANNES STROUX



FG

506728
28.4.50

LIPSIAE · IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI · MCMXII

1888
V.



MAGISTRIS CARISSIMIS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D.

IOANNES STROUX

„Peripatetici etiam haec ipsa, quae propria oratorum
putas esse adiumenta atque ornamenta dicendi, a se peti
vincerent oportere, ac non solum meliora, sed etiam multo
plura Aristotelem Theophrastumque de istis rebus, quam
omnis dicendi magistros scripsisse ostenderent.“

ARGUMENTUM.

	pag
Prooemium	1
Caput I. De statu quaestionis	5
Caput II. De Theophrasti ratione virtutum	9
Caput III. De initiis virtutum dicendi	29
Caput IV. De narrationis virtutibus	43
Caput V. De virtutum dicendi apud Romanos ratione	54
Caput VI. De virtutum dicendi in scriptis criticis usu atque ratione	72
Caput VII. De tribus dicendi generibus	88
Caput VIII. De virtutum dicendi cum generibus confusione	104

LIBRORUM INDEX.

(Enumerantur ii libri, qui saepius adhibentur in disputatione.)

- H. Diels: Über das dritte Buch der Aristotelischen Rhetorik Abh. Berl. Ac. 1886 IV 1—37.
- P. Geigenmüller: Quaestiones Dionysianae de vocabulis artis criticae Diss. Lips. 1908.
- G. L. Hendrickson: Americ. Journal of Philology 1904 vol. XXV The peripatetic mean of style.
- : A. J. Ph. 1905 XXVI Origin and Meaning of characters of style.
- W. Kroll: Randbemerkungen Rh. Mus. 1907 vol. LXII.
- A. Mayer: Theophrasti *περὶ λέξεως* libri fragmenta (cum prolegg.) Lipsiae 1910.
- E. Norden: Antike Kunstprosa (Ed. 1).
- H. Rabe: De Theophrasti libris *περὶ λέξεως* Diss. Bonn. 1890.
- L. Radermacher: Rh. Mus. 1899 vol. LIV Excurs: Theophrast *περὶ λέξεως*.
- : Demetrii de elocutione libellus Lipsiae 1901.
- Rhys Roberts: Demetrius on style Cambridge 1902.
- : Dionysius of Halic. The three literary letters Cambridge 1901.
- F. Striller: De Stoicorum studiis rhetoricis Breslauer Philol. Abh. vol. I.
- Maximilian Schmidt: Commentatio de Theophrasto rhetore Halis Sax. 1839.
- Wilhelm Schmid: Zur antiken Stillehre Rh. Mus. 1894 vol. IL.
- P. Wendland: Anaximenes von Lampsakus, Berlin 1905.
- U. v. Wilamowitz-Möllendorff: Asianismus und Atticismus Hermes 1900 vol. XXXV.

PROOEMIUM.

Artis rhetoricae historiam si quis per saecula persequi studet, nihil habet antiquius, quam ut magnum temporum intervallum, quod inter Aristotelem et Rhetorica ad Herennium data intermissum nullum suae doctrinae testem praebuit, recte intellegat. Ut enim vera ars oratoria una cum populi de summa rerum arbitrio exspiravit, ita τέχνη, ut graece dicam, eiusque praecepta in dies magis tractabantur eoque acrius et diligentius, quo minus industriae in acie forensi consumebatur.

Atque duo viri videntur plurimum praeter ceteros dicendi magistris illius aetatis valuisse reliquisque omnibus libros suos quasi 'pratum' praebuisse, unde flores in calathos suos decerperent et praecepta exciperent: Hermagoram dico πραγματικῷ τόπου magistrum, λεκτικῷ vero Theophrastum. Ille ῥητορικώτερος, φιλοσοφώτερος hic. Partes tamen, quas in arte praecipienda egerunt, vicissim videntur commutatae esse. Hermagoras totus fere in rebus versabatur, quarum inventionem et ordinem nova ratione ita docere studuit, ut philosophorum doctrinam nimis ad illa tempora a rhetoribus neglectam consereret cum praeceptis vere rhetoricis.¹⁾ At Theophrastus, qui philosophiam profitebatur, verbis maxime operam dedit, quam partem disciplinae rhetoricae magister eius Aristoteles invitus fere et necessitate coactus ad institutionem suam admisit. Δίκαιον γὰρ αὐτοῖς ἀγωνίζεσθαι τοῖς πράγμασιν, ὥστε τὰλλα ἔξω τοῦ ἀποδείξαι περίεργά ἐστιν (Arist. Rhet. III 1 p. 1404a5), neque verborum ornamenta oratoribus usui esse putat, nisi διὰ τὴν τοῦ ἀκροατοῦ μοχθηρίαν. Qua ex sententia factum est, ut eius commentarius περὶ λέξεως neque universa ratione neque praeceptorum ordine ad veram et dilucidam eius partis praeceptionem sufficeret, quamvis egregie singula quaedam explicarentur. Theophrastus igitur λέξεως praecepta accurate pertractavit, initia a magistro suo instructa peregit, manca sup-

1) Fundamenta tamen manebant rhetorica, rhetor voluit esse et appellari Hermagoras. „Die einzige Rhetorik, welche sich aus dem Boden der Philosophie heraus entwickelte, war die des Hermagoras, und die wollte doch nichts anderes sein als Rhetorik.“ (Thiele: Hermagoras p. 171).

plevit, varia et dispersa ordine et consilio disposuit, omnem denique elocutionem sub certam rationem redegit, ne discipulos dicendi studiosos in hac ipsa artis parte a philosophorum schola dimitteret, quae prae ceteris necessaria videretur oratori. „Quem hoc uno excellere, id est oratione, cetera in eo latere indicat nomen ipsum; non enim inventor aut compositor aut actor —¹⁾ haec complexus est omnia — sed et Graece ab eloquendo ῥήτωρ et Latine eloquens dictus est; ceterarum enim rerum, quae sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vindicat, dicendi autem, id est eloquendi, maxima vis soli huic conceditur.“ (Cic. Or. 61). Sed ne sapientiae quoque studiosos ad κατασκευὴν oratoriam vocaret, philosophorum dicendi rationem a genere rhetorico apertis verbis separavit. Sicut Aristoteles verborum curam πρὸς τὸν ἀκροατὴν dixit esse (p. 1404a11), hac ratione Theophrastus orationem in duas partes divisit: Διττῆς οὐσῆς τῆς τοῦ λόγου σχέσεως, καθὸ διώρισεν ὁ φιλόσοφος Θεόφραστος, τῆς τε πρὸς τοὺς ἀκροαμένους, οἷς καὶ σημαίνει τι, καὶ τῆς πρὸς τὰ πράγματα, ὑπὲρ ὧν ὁ λέγων πείσασθαι προτίθεται τοὺς ἀκροαμένους, περὶ μὲν τὴν σχέσιν αὐτοῦ τὴν πρὸς τοὺς ἀκροατὰς καταγίνονται ποιητικὴ καὶ ῥητορικὴ τῆς δὲ γε πρὸς τὰ πράγματα τοῦ λόγου σχέσεως ὁ φιλόσοφος προηγουμένως ἐπιμελήσεται τό τε ψευδὸς διελέγχων καὶ τὸ ἀληθὲς ἀποδεικνύς (Ammonius in Aristot. περὶ ἔρμην. vol. IV, 5 p. 65 Busse, Schmidt fragm. XXIV Mayer p. 14). Artis praeceptis oratoribus tantum opus est, philosophi elocutionem accuratam, sed vacuum ornamentis ex rebus ipsis adipiscuntur. Nam „loquuntur cum doctis, quorum sedare animos malunt quam incitare, et²⁾ de rebus placatis ac minime turbulentis docendi causa, non capiendi loquuntur . . . ergo ab hoc genere non difficile est hanc eloquentiam, de qua nunc agitur, discernere“ (Cic. Or. 63).

Neque dubium est, quin eo consilio Theophrastus philosophorum sermonem ab oratorum dictione removerit, ut illos, qui prudentiae composites nullis praeceptis egerent, ab opere suo longe dimitteret et omnem disputationem περὶ λέξεως in oratoria collocaret elocutione. Ut Hermagoras, qui λέξιν fere neglexit, speciem philosophiae assequitur, ita Theophrastus dum singula λέξεως praecepta explicat, in ipsis versatur artis rhetoricae penetralibus. Unde laus illa Ciceronis orta est: „Peripatetici

1) Hoc loco Madvig addidit 'qui', eandem vocem post 'sed' Heerdegen. Quia 'dictus est' etiam ad priora nomina pertinere debet, Madvigio assentior in re, de voce non constat. Non solum de relativo pronomine, sed etiam de concessiva compositione (velut 'etsi') cogitare licet.

2) 'et de' scripsit Heerdegen. Sed codex L, quo nititur haec pars, exhibet 'fide', id est 'si de', quae lectio mihi vera videtur esse.

autem etiam haec ipsa, quae propria oratorum putas esse adiumenta atque ornamenta dicendi, a se peti vincerent oportere, ac non solum meliora, sed etiam multo plura Aristotelem Theophrastumque de istis rebus, quam omnis dicendi magistros scripsisse ostenderent“ (Cic. De Or. I 43). Nihil mirum est tale opus apud posteros maxima auctoritate usum esse eiusque praecepta fluxisse in recentiorum saeculorum scripta rhetorica, quae ad nos pervenerunt. Nobis autem quaestio occurrit, quam ratione inter vetera Theophrastea et recentiora distingui possit. Nam eo rarius nomen auctoris affertur, quo magis eius praecepta in communem usum omnium, qui *περὶ λέξεως* disserebant, rhetorum adsumpta sunt. Apparet igitur ex certis fragmentis nobis quam accuratissime fieri possit, cognoscendum esse, quae fuerit praeciipiendae elocutionis indoles Theophrastea atque ratio omnis, ut oculos quasi coloribus eius adsuescamus, priusquam in vastis recentiorum campis flores, quos Eresius consevit, quaerere et in nova sarta colligere conemur.

Hoc igitur propositum mihi est demonstrare, quae Theophrasti fuerit ratio *λέξεως*. Quod non ita persequar, ut in uno eius opere et in frustulis huc, illuc vertendis morer. De Theophrasti virtutibus dicendi libellum meum inscripsi, quia virtutum historiam expositurus sum. Fateor autem tantopere me disquisitioni, quae in illis dicendi virtutibus posita est, confidere, ut sperem, quicumque eas per tempora et per rhetorum scripta mecum persecuti erunt, omnes sua sponte idem iudicium de Theophrasti ratione *λέξεως* laturos esse atque me ipsum. Id enim argumentum, quod ex historiae cognitione ultro evadat, maiore persuadendi vi praeditum puto esse, quam verba quaedam cuiuslibet grammatici, quae interpretationis artificiis ad testimonium accomodantur et, si accurate inquirimus, saepe rem in dubio relinquunt. Accedit, quod nostra magis interest ipsam historiam artis rhetoricae intellegere et videre, quae sit cuiusque doctrinae origo et natura, quibus de causis et qua ratione mutata sit, quae in scripta pervenerit, quam multorum et clarorum auctorum nominibus speciem scientiae usurpare. Itaque satis habere potui de virtutibus dicendi componere argumentum, Theophrasti vero nomini parcere, nisi alterum cum altero tantum cohaerere vidissem, quantum arborem cum terra, in quam radices suas demittit. Plantam diruit, qui evellit, virtutes non intellegit, qui earum auctorem neglegit. Licet Theophrastus ‘virtutes’ non invenerit, tamen iis principatum in praeciipienda elocutione non solum ipse in sua arte concessit, sed opera sua etiam effecit, ut apud posteros quoque eundem locum obtinerent. Quae cum ita sint, is, qui de virtutibus dicit, de Theophrasto dicat necesse est. Bipertita ergo erit disputatio, in quam duae quaestiones con-

veniant, cuius ne rationem ordinis desideres, mihi pauca de dispositione libelli dicenda sunt.

Ut oratoriae inventionis est statum causae primum constituere, ita ego quoque primo capite sententias diversas virorum doctorum, qui de Theophrasti doctrina *λέξεως* scripserunt, afferam, ut eorum ex *κατάφρασι* et *ἀπόφρασι* cognoscatur, quid omnino in controversia sit. Altero capite Theophrasti rationem virtutum accuratius tractabimus. Etsi enim inter omnes constat virtutes quasdam elocutionis ab eo esse statutas, tamen de numero et de indole eius doctrinae magna dissensio est. De Theophrasto autem certiore te factum esse volo, priusquam ad historiam virtutum aggrediamur. Sic igitur instructus ad Aristotelem tertio capite quasi redibimus, progrediemur vero usque ad Stoicos. Nam ad Romanorum memoriam non transibimus, nisi comparatis antea virtutibus narrationis. Quae propter affinitatem dignae sunt, quae audiantur; cum enim similes sint elocutionis virtutibus, harum cognitionem adiuvant. Tamen multo magis, quam solet fieri, alteras ab alteris distinguendas esse apparebit (Cap. IV). Deinde Romani rhetores suam de virtutibus dicendi sententiam proferent (Cap. V). Accedit sextum caput, quo virtutum usum in scriptis rhetoricis ad imitationem compositis persequemur. His sex capitibus absolutis quoniam virtutum ratio ipsa per se satis tibi nota erit, iam erit quaerendum, quae ratio inter virtutes et genera dicendi intercedat. Cui quaestioni cum capite septimo responderimus, insequenti capite eos audiemus, qui falso contaminandi studio impulsivi virtutes cum generibus confundere voluerunt.

CAPUT I. DE STATU QUAESTIONIS.

Maximilianus Schmidt bene de Theophrasto et de arte rhetorica meritus est, cum in „commentatione de Theophrasto rhetore“ (Halis Sax. 1839) et reliquorum librorum rhetoricorum et fragmenta *περὶ λέξεως* (p. 39—53) tam accurate colligeret, ut eius sylloge adhuc permanserit et sola digna sit, quae a nobis adhibeatur. Wimmerus enim, Parisinus editor Theophrasti, in rhetoricis fragmentis nihil correxit, multa omisit. Britannus autem vir doctissimus et artis rhetoricae peritissimus, Rhys Roberts, iam dudum pollicitus se fragmenta *περὶ λέξεως* denuo tractaturum esse¹⁾ promisso, quantum equidem scio, nondum stetit. Schmidtius quidem in singulis fragmentis haesit neque universam libri²⁾ *περὶ λέξεως* indolem et dispositionem nos docuit. Contra arcessitis iis locis, quos translatos esse ex Theophrasto a recentibus rhetoribus in suos libros, si minus auctoris nomine, at doctrinae certe ratione probaretur, quid de toto opere eiusque dispositione demonstrari posset, Hugo Rabe exposuit libello, qui inscribitur: „De Theophrasti libris *περὶ λέξεως*“ (Diss. Bonn 1890). „Totius operis Theophrastei argumentum quale fuerit et quomodo dispositum, etiam nunc nisi spes me fallit, e compluribus scriptoribus erui potest, dum de eorum diversis consiliis recte iudicemus“ (Rabe l. c. p. 6). Cuius omnis disputatio a Dionysio Halicarnasensi pendet, „quippe qui prae ceteris dilucide Theophrastei operis dispositionem proderet“ ei visus sit (p. 7). Quam varia autem et natura diversa argumenta in uno opere, quod in quinque putat libros

1) Roberts: Demetrius on style, Cambridge 1902 p. 16 „I hope to collect elsewhere the chief fragments of the *περὶ λέξεως* and to review the scattered references made to the work in antiquity.“

2) Laert. Diog. V, 47 *περὶ λέξεως α*. Ei fidem puto habendam esse, etiamsi Dionysius altero loco dicat *ἐν τοῖς περὶ λέξεως*, altero *ἐν τοῖς περὶ λέξεως γραφῆσι*. Recte nunc Mayer: Theophrasti *περὶ λέξεως* libri fragmenta p. VI. δ coniecit Usener: Anal. Theophr. p. 9 cf. p. 20, quinque libros numerat Rabe.

divisum fuisse, composuerit, ex conspectu, quem in exitu libelli (p. 45) addidit, perspicitur. Atque certis argumentis demonstrare studet, quod iam Westermannus (Griech. Beredsamkeit I, 170) suspicatus est, Theophrastum in libro *περὶ λέξεως* tria esse dicendi genera docuisse, eam existimat summam fuisse doctrinae Theophrasteae, illud praecipue viris doctis placebat ob idque ipsum Rabii libellus afferri solet. Paucos testes advocabo, qui tibi instar omnium esse possunt. Si Volkmannum quae- ris, satis confuse *χαρακτῆρας* cum ideis contaminat, sed dubium non est, quin etiam tria genera Theophrasto adsignet (Rhetorik d. Griechen u. Römer, 2. Aufl. p. 533), idque iam ante Rabii libellum. Multo vero certius idem exponit Rabium secutus in compendio, quod in Mülleri encyclopaedia philologica edidit (Rhetorik d. Griechen u. Römer 3 A v. Hammer in Iw. Müllers Hdbuch p. 53 sq.). Gravior certe testis est Eduardus Norden, vir praeter ceteros artis rhetoricae peritus, Rabii amicus eiusque in ipsa dissertatione publice defendenda adversarius. „Daß die . . . Scheidung der *χαρακτῆρες λέξεως* mit ihren benachbarten Fehlern auf Theophrast zurückgeht und daß nur zweifelhaft ist, inwieweit dieser auch schon die Namen der fehlerhaften Stilarten geprägt hat, weist H. Rabe: De Theophrasti libris *περὶ λέξεως* 24 ff. überzeugend nach.“¹⁾ (A. K. I¹ p. 70 adnot.). Wilamowitzii quoque auctoritate sententia illa probatur. „Die Unterscheidung der Stilarten war in Ausführung aristotelischer Gedanken von Theophrastos mit vollkommenstem Erfolge durchgeführt und den richtigen Gedanken waren ihre *παρεκβάσεις* zur Seite gestellt worden“ (Hermae vol. XXXV 1900 p. 27) idemque in Graecarum litterarum historia (Kultur d. Gegenwart I⁸ Ed. II p. 104): „Theophrast hat in seinem Buche über den sprachlichen Ausdruck (d. i. *περὶ λέξεως*) auf dem Boden des wunderbar feinen aristotelischen Buches, das wir jetzt als drittes der Rhetorik lesen, ein festgefügt System erbaut, namentlich durch die Anerkennung verschiedener Prosastile.“²⁾ Ut etiam alienae linguae testem afferam: Idem Rhys Roberts, quem modo commemoravimus, de generibus consentit: „Among the topics included in this work seems to have been one which becomes very prominent in later writers — that of the three types of style. It is probable, that Theophrastus . . . developed considerably, and in a most interesting way, the

1) Nescio quomodo erraverit vir doctus in sententia Rabii referenda. Rabius enim vitiosa genera Theophrasto denegavit. „Me iudice a Theophrasto vitiosi elocutionis characteres non sunt statuti“ (p. 26) itaque proprium auctorem inter Theophrastum et Demetrium II. Equi. invenit „a quo Theophrasteis elocutionis characteribus additi sunt vitiosi“ (p. 27 Annot.). Wilamowitzius (cf. locum supra allatum) Nordenum puto secutus idem fecit.

2) Cf. etiam Usener: Sitzber. Münch. Akad. 1892, p. 607.

doctrine of style as it came from his masters hands“ (Demetrius *περὶ ἑρμηνείας* with introduction etc. Cambridge 1902 p. 16). Satis iam perspicitur eos vicisse, qui genera ad Theophrastum detulerint.¹⁾

Tamen non prorsus defuit, qui contra disputaret. Guilelmus Schmid in *Musei Rhenani* vol. 49 (p. 133sq.) de tribus dicendi generibus scripsit Procli chrestomathia adductus cumque in eorum historiam inquireret, a Theophrasti doctrina ea aliena esse cognovit. Videtur autem sibi prōbavisse a Stoicis genera dicendi esse inventa, Theophrastum docuisse *ιδέας* dicendi. Quae cum essent ab Isocrate inchoatae, a Theophrasto propagatae, Hermogenis denique opera ad regnum eas pervenisse. Quot *ιδέας* Theophrastus numerasset non constare. „Theophrast unterschied mindestens vier *ιδέαι λέξεως* — daß es bloß vier gewesen seien, kann weder aus Cicero . . . noch aus Simplicius . . . geschlossen werden. Vier von diesen *ιδέαι* oder laudes orationis hießen *σαφές μεγαλοπρεπές ἡδὺ πιθανόν*. Ganz verfehlt wäre es diese *ιδέαι λέξεως* in eine Linie mit den auch dem Aristoteles schon (Rhet. III 2, 5) bekannten notwendigen Grundeigenschaften jeder Rede zu stellen“ (l. c. p. 145). Quae Schmid probare studebat, iis nocuerunt, quae iure negavit. Grato equidem animo profiteor me ut in rebus aliter sentire ita in ratione inquirendi multum ab eo didicisse.²⁾ Radermacher operam dedit, ut repetitis Rabii argumentis et novis quibusdam additis falso Schmidium iudicasse demonstraret (Rh. Mus. 54, 374sq. Excursus: Theophrast *περὶ λέξεως*). Extrema autem disputatione hoc monuit: „Ich meine also, wir müssen uns bei der Tatsache beruhigen, daß Theophrast der erste war, der drei Stilarten unterschied“ (p. 380). Sed non deterruit Hendricksonium, virum doctissimum, quin denuo Theophrasti memoriam tribus generibus liberare studeret, cum Peripateticorum *μεσότητα* compararet cum generum ratione (*American Journal of Philology* vol. XXV 1904 p. 125sq.) Atque tria sibi haec capita proposuit: primum, ut ipsius verbis utar, „that Theophrastus following the teachings of his master designated excellence of style as a mean (*μεσότης*) and named Thrasymachus as the first one to attain it.“ alterum „that Dionysius with superficial apprehension of this conception has applied it to the doctrine, current in this time, of the three characters of style, identifying the Peripatetic mean with the so called middle style“, tertium „that therefore from this

1) Cf. etiam Jebb: *Attic Orators* II, p. 397. Sandys: *Ciceronis Orator*, Cambridge 1885 p. LXX. Gaetano Curcio: *Le opere retoriche di M. Tullio Cicerone*, Acireale 1900 p. 24.

2) In Christii *histor. litt. Graec. nova editione* quam curavit, Schmidium in eadem fere sententia se ostendit perseverasse. cf. vol. II 49 Annot. 5.

evidence at least, Theophrastus is not the source of this classification of styles, the true origin of which must be sought elsewhere" (p. 127). Quae ut probaret, Hendricksonius a magistro Theophrasti et a vetere Peripato argumenta petivit eadem ratione, qua Dielsius Theophrasto usus est ad tertium librum Rhetoricorum Aristoteliorum interpretandum (Diels: 3. Buch der Aristotel. Rhet. Abh. Berl. A. 1886), eiusque rhetoricam doctrinam etiam cum ethica Peripateticorum mediocritate comparavit. Si satis multa et firma argumenta adessent, quibus constaret Theophrastum dicendi tria genera exposuisse, statuendum fuit eum in libro *περὶ λέξεως* a Peripatetica *μεσότητος* ratione vel maxime discessisse. Eiusmodi argumenta nulla esse Hendrickson ostendit, sed omnia esse liquida, si apud Theophrastum *τὸ μέσον ἐν λέξει* idem atque apud Aristotelem invenimus. „But especially I desire to make it plain by means of authentic fragments of Theophrastus, that his conception of the 'virtue of style' was the same as that of Aristotle and therefore wholly alien to the division into *χαρακτῆρες* now commonly attributed to him" (p. 137). Quamquam summo ingenio et acumine causam egit, tamen paucis videtur persuasisse. Theophrasto enim cum tria dicendi genera adimeret, singulum et unum dedit praeceptum *μεσότητος*, ex quo totam libelli indolem et rationem *λέξεως* non contigit, ut illustraret. Neque difficultates solvit in altera disputatione, quam de tribus generibus scripsit in volumine XXVI (A. J. Ph. 1905). Itaque prior sententia de Theophrasto generum auctore etiam post Hendricksonium duravit et adhuc vulgo credita videtur esse. Ut compendium afferam, audi, quaeso, Gudemannum in „Grundriß zur Gesch. d. class. Philol. (p. 23)" ita dicentem: „Die berühmte Dreiteilung der 'genera dicendi' geht ebenfalls trotz Hendrickson auf ihn (Theophrast) zurück". Valet igitur in nostram quoque quaestionem Horatianum illud: 'Adhuc sub iudice lis est'.

Haec iam dudum scripta erant — aliis enim officiis distentus duos fere annos in hac dissertatione consumpsi — totum iam consilium operis erat initum et maxima pars primis litteris etiam mandata, cum editus est Lipsiae in Aedibus Teubneri liber Augusti Mayer, qui inscribitur: „Theophrasti *περὶ λέξεως* libri fragmenta". Dicere nequeo, quanto studio a nova editione nova ad Theophrasti iam adamati interpretationem subsidia expetiverim neque quantopere meum studium ille liber eluserit. Non quo multa Theophrastea desint: sed haec paene evanescent sub mole eorum, quae certe ab eo sunt aliena. Totius autem libri restituendi fundamenta ita iecit Mayerus, ut non solum *ιδέας* poneret virtu-

tum (*ἀρετῶν λέξεως*) loco, similiter atque ante eum fecit Schmidius¹⁾, sed etiam tria dicendi genera (*χαρακτῆρας*) adderet eos secutus, quorum sententias Schmidius refutare studuit. Neutrum vero ad Theophrasti librum iure deferri, omnem eius rationem *λέξεως* in virtutibus elocutionis esse positam cum ex virtutum historia mihi demonstrari posse videretur, etiam post Mayeri editionem nova totius quaestionis disputatione opus esse censui. De singulis partibus in hac tam universa dissensione decertare inutile putavi esse nisi iis locis, ubi de summa totius quaestionis agitur. Ibi meae sententiae iam antea litteris conceptae argumenta, quibus ille mihi refutari videretur, addidi. Omnino autem sicut neminem consulto praeterii, cuius sententiam secutus sum, ita meum non esse credidi ex magna copia litterarum, quae nostra aetate de arte rhetorica editae sunt, omnes, quibus assentiri non possum, disertis verbis afferre, nisi magni nominis auctoritas id postulabat.

CAPUT II.

DE THEOPHRASTI RATIONE VIRTUTUM.

Cicero in 'Oratore' (75sq.) Atticorum subtile genus dicendi describit atque postquam simplicem eius generis rationem ex ornamentis verborum tantopere exemit, ut elegantia modo et munditia remaneat, ita pergit: „Sermo purus erit et Latinus, dilucide planeque dicetur, quid deceat, circumspicietur; unum aberit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus: ornatum illud, suave et affluens“.

Hoc gravissimum duco omnium fragmentorum, quae libri *περὶ λέξεως* ad nos pervenerunt, in his Tullii verbis summum nostrae quaestionis momentum colloco. Sed interpretatione indigent haec verba, neque enim sine causa factum videtur esse, quod hunc tam gravem locum viri docti diversis rationibus intellexerunt, quamquam verba ipsa satis aperta sunt, ut de Ciceronis quidem sententia nulla relinquatur dubitatio. Sed quo maioris res momenti est, eo diligentius ratio philologicae inquisitionis est servanda. Ciceronem ex Cicerone interpretari debemus, priusquam alios testes advocemus. Plerique autem interpretes a vero videntur aberrasse, quia ex Simplicio, de quo infra dicam, certam antea

1) Schmidius tamen inter ideas et virtutes tam accurate distinxit, ut etiam disertis verbis vetaret eas confundi (Mus. Rhen. 49, 145). Mayerus autem non dubitat ideas cum virtutibus permiscere et mixtum aliquid describit, quod est, ut Tullii verbis abutar, „utriusque particeps vel utriusque, si verum quaerimus, potius expers“.

de Theophrasto sententiam perceperant eandemque in Ciceronem quamvis invitum vi interpretationis intulerunt. Nostra igitur ita procedat disputatio, ut primum interpretemur ipsum Oratoris Tulliani locum, deinde librum tertium de Oratore adhibeamus, tum denique Simplicium, cuius diversa ex ratione quomodo Ciceronis de Theophrasteis virtutibus testimonium viri docti mutaverint, postremo videamus.

Atque primum quidem, cum in Romanorum litteris rhetoricis plurimum semper valeat Graeca artis vocabula pro Latinis restituere, hoc nos facere nostro quoque loco oportet. Neque dubium est, quin tria, quae Tullius priora enumeravit, recte¹⁾ vertamus his Graecis vocabulis: 1. *ἑλληνισμός*, 2. *σαφήνεια*, 3. *πρόπον*. In quarta tamen laude haeremus, quam unam esse etsi Cicero aperte docet, tamen tribus voluit nominibus appellare, cum ita diceret: 'ornatum illud, suave et affluens'. E quibus unum vocabulum, scilicet suave, Graeca voce *ἡδύ*, cuius in arte rhetorica vim late patentem nemo ignorat, sine dubio reddi potest. Tamen Strillerus, qui loco laudato voce illa contentus est, partem bene convertit, totam virtutem non nominavit. Quaerentibus nobis, quo Graeco nomine Theophrastus uti potuerit, maxime considerandum est Ciceronem in libro De Or. III eandem laudem una voce appellare 'ornatum'.²⁾ Sane ne id quidem vocabulum satis definitum est, ut certa ratione in Graecum sermonem transferatur. *Κόσμος* nomen non probatur usu rhetoricum. Sed si virtutum dicendi historiam postea percurres, videbis, quibus rationibus adductus nomine *κατασκευή* quartam laudem a Theophrasto censeam esse appellatam. Atque haec quidem de Graecis laudum vocabulis. Iam ad earum numerum attendamus. Feliciter enim accidit, quod Cicero tam accurate numeravit. Quattuor laudes descripto ordine³⁾ affert. Quam ipse quarto loco collocat, eandem apud Theophrastum affirmat quartam fuisse. Quis est, qui casu hoc factum esse credat? Negandum immo vero est tres laudes, quae apud Ciceronem quartam antecedunt, alias esse, quam illas tres laudes, quas apud Theophrastum antecessisse numerus docet. Accedit, quod illa de laudibus verba ut inter se coniuncta et continua sunt, ita a finitimis verbis distinguuntur. Antea enim Tullius idem fere aliis verbis exposuit, scilicet subtilem oratorem elegantia excellere, sed ornamentis carere, ita ut

1) Ita etiam convertit Striller: De Stoicorum studiis rhetoricis p. 51. Locos, quibus probetur, collegerunt Causeret: Étude sur la langue de la rhétorique dans Cicéron (1886) et Geigenmüller: Quaestiones Dionysianae de vocabulis artis criticae.

2) Cf. infra p. 11, p. 18sqq.

3) Etiam dicendi ratione Cicero enumerationem significavit. Nam asyndetice et membratim magis quam periodice locutus est.

quattuor laudum enumeratio quasi recapitulationis vice fungeretur, postea autem verba quaedam de sententiis fecit. Quare cum quattuor laudes etiam disputationis filo inter se consuantur, sequitur, ut quod de una constet quarta, idem de trium antecedentium auctore statuendum sit. Sed haec fortasse leviora. Gravissimum vero et certum argumentum ex Ciceronis argumentatione et consilio capitur, quaerentibus nobis, quid adhibitis quattuor laudibus et ascita Theophrasti auctoritate sibi voluerit. Quod ut intellegamus, meminisse nos oportet Atticos in Ciceronem impetum facere, quorum genus dicendi in summa eruditione et prudentia positum rerum diligentia et elegantia verborum excelebat. Tale igitur genus oratorum vituperandum erat, non quo vitia ostenderet, sed quod bonis careret. Quam sententiam Tullius primum suis verbis protulit, cum laudaret ea, quae essent subtili oratori instrumenta dicendi, alia vero denegaret, quae non minus magna essent, veluti numeros oratorios et omnem insignem ornatum (Or. 76—78). Deinde autem iure veritus, ne sibi cedere Attici nollent, ad maius nomen iudicium detulit, cuius in λέξεως praeceptione auctoritatem omnes artis rhetoricae periti colebant, ad Theophrastum, magistrum elocutionis. Quattuor hic laudes orationis constituit, quarum tres quidem Attici sua subtilitate assecuti sunt, una certe deest eosque detinet, ne ad optimum perveniant. Omnem argumenti vim debilitat et is, qui quattuor laudum unam Theophrasto, tres reliquas aut ipsi Ciceroni aut alteri tribuat, et is, qui plures etiam, quas Cicero omiserit, laudes a Theophrasto constitutas esse contendat. Quodsi legimus: ‘unum aberit, quod quartum numerat Th.’, qua tandem ratione hoc ‘unum’ explicabis, nisi omnia, quae Theophrastus praeter hoc ‘unum’ voluit, subtili oratori praesto esse concedes?

Ad numerum laudum et Theophrasti auctoritatem cognoscendam verba ‘Oratoris’, ut interpretatio docuit, certe sufficiunt. Sed cum uno loco commemorentur, non intellegitur, quas partes in libris technicis περί λέξεως egerint, quomodo cum reliquis praeceptis in unum ordinem convenerint. Haec autem ad plenam laudum Theophrastearum cognitionem desiderantur.

Ecce auxilio venit liber tertius De Oratore. Qui si satis adhibitus esset, de interpretatione laudum in Oratore non potuit adeo dubitari. Etenim cum easdem quattuor laudes ita coniunctas videamus, ut omnem λέξεως orbem complectantur, non iam licet dissoluto ordine aliam ad alium auctorem referre aut illis quattuor complures alias aliunde repetitas adnectere. Ita autem de elocutione Crassum praecipientem fecit Cicero: „Quinam igitur dicendi est modus melior . . . quam ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcumque agetur, apte congruenterque

dicamus?“ (De Or. III 37). Quae in Graecum conversa sermonem haec sunt: *ἑλληγνισμός, σαφήνεια, κατασκευή, πρέπον*. Mutato leviter ordine¹⁾ apparet easdem quattuor laudes enumerari, quos ‘Orator’ Theophrasto dedit. Haec igitur ratio inter librum tertium De Oratore et Oratorem intercedit, ut Orator nos doceat Theophrastum auctorem quattuor laudum esse, librum De Oratore tertium earum usum et rationem ostendat. Neque enim quicquam, quod in libro De Or. III de fontibus legitur, quibus Cicero usus sit, nobis obstat, quominus quattuor laudes, quas Crassus explicat, a Theophrasto petitas esse ex Oratoris testimonio credamus²⁾, sed etiam omnia in Theophrastum Peripateticum bene quadrant. In dialogo non potuit Cicero facere Crassum et Antonium hunc illumve auctorem nominatim afferentes, ut in libris technicis ratio est. Tamen in una elocutionis parte auctoribus sibi nitendum esse putavit, ut opprobrium evitaret. Sicut in ‘Oratore’, cum longa disputatione explicaret, quid de numerosa oratione sentiret, veritus, ne tam subtilis doctrina sibi dedecori esset, multis argumentis se optimo iure ea docere contendit³⁾, ita in libro De Or. III 187 se excusavit his verbis: „Atque haec quidem ab eis philosophis, quos tu maxime diligis, Catule, dicta sunt; quod eo saepius testificor, ut *auctoribus laudandis* ineptiarum crimen effugiam.“ Omnis de rhythmis locus a Catuli philosophis petitus est, Catulus autem erat Peripateticus, quorum insuper nomina Tullius profert: „Aristoteles, Catule, vester“ (III 182) et brevi post: „Namque ego illud adsentior Theophrasto, qui putat orationem, quae quidem sit polita atque facta quodammodo, non astricta, sed remissius numerosam esse oportere“ (III 184). In reliqua autem *λέξεως* institutione, in qua crimen illud ineptiarum praecipiente minus imminabat, magistrorum dicendi praecepta Crassus iterum atque saepius aspernatus⁴⁾ Sulpicio roganti explicavit, quomodo in re vulgari et omnibus nota nihilominus suo nomine digna esset expositurus: „Tum Crassus: ‘pervulgatas res requiris’, inquit, ‘et tibi non incognitas, Sulpici: quis enim de isto genere non docuit, non instituit, non scriptum etiam reliquit? Sed geram morem et ea dumtaxat, quae mihi nota sunt, breviter exponam tibi; censebo tamen ad eos, qui *auctores et inventores* sunt harum sane minutarum rerum (sci-

1) De Theophrasti ordine τοῦ πρέποντος vide caput V.

2) Adnotandum est Theophrasti auctoritatem ad quattuor laudes solas pertinere. De singulis praeceptis hac in disputatione non quaerimus, sed consentaneum est praeter Theophrastea in singulis etiam recentiora adhibita esse. Infra apparebit Ciceronem in tribus laudibus multo breviorum esse, quam fuit Eresius, in ornatu locupletiorum.

3) Or. 140 sqq.

4) De quibus vide De Or. III 54, III 92, III 103.

licet praeceptorum λέξεως) revertendum“ (III 148). Quidni credamus Ciceroni, qui operi suo dignitatem reddere studuit, cum auctoritatem magistrorum summo nomine praedictorum sequi mallet quam rhetorum minorum. Quos autem eos inventores fuisse dicamus? Qui historiam λέξεως secum reputabit, facere non potest, quin Peripateticos significari intellegat. Cicero et ipse quoque initio operis sui nos docuit, quos designare vellet, cum hanc laudem ad Aristotelem Theophrastumque deferret (De Or. I 43). Constat ergo quattuor illas virtutes, quibus Crassus in tertio libro De Or. omnem elocutionem subicit, ipsius Theophrasti esse. Iam videndum est, qua ratione λέξεως praecepta in quattuor laudum capita distribuuntur.

I. Ἑλληνισμός.

Crassus Tullianus quamquam ἑλληνισμόν et σαφήνειαν inter laudes ducit, tamen suum non putat esse puri et dilucidi sermonis praecepta explicare. Eas enim duas virtutes oratorias non rhetorum erat excolere in adolescentibus, sed grammaticorum in pueris. „Neque enim conamur docere eum dicere, qui loqui nesciat . . . neque vero, qui non dicat, quod intellegamus, hunc posse, quod admiremur, dicere. Linquamus igitur haec, quae cognitionem habent facilem, usum necessarium. Nam alterum traditur litteris doctrinaque¹⁾ puerili; alterum adhibetur ob eam causam, ut intellegatur, quid quisque dicat“ (III 38). „Praetereamus igitur praecepta Latine loquendi, quae puerilis doctrina tradit“ (III 48). „Quoniam haec satis spero vobis quidem certe maioribus molesta et putida videri“ (III 51). Res facile intellegitur, modo Tullianae aetatis partitionem disciplinae consideremus: pueri primum apud grammaticos discabant neque quisquam rhetor discipulum nondum initiis quasi litterarum imbutum recipiebat. Rhetorum cursus superior erat et rhetores cum aliqua contempione grammaticos inferiores despiciebant. Cicero autem, qui rhetorum disciplinam in altiora philosophiae spatia efferre volebat, nolebat certe ad grammaticos descendere. Itaque cum duo illa capita, quamvis ab ipsius aetate abhorrent, nihilominus conservaret, se magnam veteris artis auctoritatem sequi confessus est. Nam ad Theophrastum philosophum capita περί ἑλληνισμοῦ et περί σαφήνειας optime quadrant. Aristoteles ne libro quidem de arte poetica conscripto indignum esse iudicavit de litteris et verborum generibus dicere (Poetic. 1456b 20 sqq.), quem ad locum in tertio artis rhetoricae libro disputationem

1) Aut ex scriptis (litterae) aut ex magistri verbis (doctrina) pueri discunt. Falso Sorof: ἐν διὰ δνοῖν: wissenschaftlicher Jugendunterricht.

revocavit, ne bis isdem de rebus ageret.¹⁾ Sed praeterea totum caput rhetorici libri praeceptis ἑλληνισμοῦ implevit (Rhet. III 5). Stoici quantam in explicandis elocutionis partibus et in reliquis rebus grammaticis operam consumpserint, iam satis constat. Atque Dionysius Halicarnasensis, cum nollet ex variis de litterarum numero sententiis unam suis rationibus probare, eiusmodi disputationes grammaticis, necnon philosophis commendavit: Ἡ μὲν οὖν ὑπὲρ τούτων θεωρία γραμματικῆς τε καὶ μετρικῆς, εἰ δὲ βούλεται τις, καὶ φιλοσοφίας οἰκειοτέρα (de comp. verb. c. 14 p. 74 R). Idem ubi de partibus elocutionis (μόρια sive μέρη sive στοιχεῖα λέξεως) varias sententias ordinem temporum secutus attulit, primos advocavit Aristotelem atque Theodectem καὶ τοὺς κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους φιλοσοφῆσαντας, quo in numero iure ducendus est Theophrastus, deinde τοὺς τῆς Στωϊκῆς ἀφρέσεως ἡγεμόνας et τοὺς μεταγενεστέρους (de comp. verb. c. 2 p. 8 R). Theophrastus igitur ex suae aetatis moribus non habebat, cur res grammaticas, quae Ciceronis Crasso praetereundae erant, omitteret. Immo vero philosophi erat in his rebus accurate versari. Pauca, quae sub hoc capite ei tractanda erant, etiam Cicero perstrinxit²⁾, cum adhortaretur: „(verba) sic et casibus et temporibus et genere et numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit“ (III 40). Atque haec quidem ad grammaticas verborum formas pertinet, illud fortasse gravius est, quod addidit: „Sed etiam lingua et spiritus et vocis sonus est ipse moderandus“ (III 40), cum is, qui post elocutionem in eodem libro etiam de pronuntiatione dicturus est, haec omnia praecepta in ea parte collocare deberet. Neque Crassus facere potest, quin hanc de voce disputationem ab actionis parte disertis verbis seiungat. Theophrasto, qui περὶ λέξεως scripsit, certe dicendum erat de pura et urbana pronuntiatione, qua cives peregrinis praestarent.³⁾ Plura autem praecepta singula capituli περὶ ἑλληνισμοῦ Theophrastei Simplicius infra suppeditabit, Romani rhetores, qui λέξεως praeceptionem laudibus dicendi subiecerunt, primam praetermittunt, ut Cicero fecit. Auctor ad Herennium de prima laude dicit: „Latinitas est, quae sermonem purum conservat, ab omni vitio remotum. Vitia in sermone, quominus is Latinus sit, duo possunt esse, soloecismus et barbarismus . . . Haec qua ratione vitare possimus, in arte gramma-

1) Rhet. III 1404 b 27 τῶν δ' ὀνομάτων τσαῦτ' ἐχόντων εἶδη, ὅσα τεθεώρηται ἐν τοῖς περὶ ποιήσεως.

2) Cicero hoc loco breviter etiam de 'legendis oratoribus et poetis' admonet. Veri simile igitur est eodem artis capite Theophrastum ea praecepisse, quae attulit Quintilianus X 1, 27.

3) Quae res recentioribus grammaticis cordi erat; vide, quae Quintilianus praeceperit περὶ ὀρθοεπέας I 5, 17—33.

tica dilucide dicemus“ (IV 17). Neque aliter Quintilianus: „Sed ea, quae de ratione Latine atque emendate loquendi fuerunt dicenda, in libro primo, cum de *grammaticae* loqueremur, exsecuti sumus“ (VIII 1, 2). Quo minus igitur elocutionis prima laus in tertio de Oratore libro, ab Auctore Herenniano, a Quintiliano adhibita ex ipsa studiorum ratione, qua pueri illius aetatis erudiebantur, deprompta esse potest, quo vetustiore est indole, eo facilius Theophrastum auctorem esse credimus.

II. Τὸ Σαφές.

Post Latinitatem Cicero illo loco (Or. 79), quem pro fundamento totius disputationis habemus, ita pergit: „Dilucide planeque dicetur.“ Haec igitur altera λέξεως ἀρετή a Theophrasto numerata est. Eundem locum obtinuit apud Auctorem ad Herennium, qui explanationem eam appellavit (IV 17), et apud Quintilianum, ubi perspicuitas nominatur (VIII 1). Quae praecepta sub eam laudem cadant, Cicero summatim percurrit De Or. III 49: „Latine scilicet dicendo¹⁾, verbis usitatis ac proprie demonstrantibus ea, quae significari ac declarari volumus²⁾, sine ambiguo verbo aut sermone, non nimis longa continuatione verborum³⁾, non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur⁴⁾, non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus, non confusis personis, non conturbato ordine.“ Perspicuitatis autem laudi oppositum est vitium obscuritatis (vide Quintil. VIII 2, 12. Cic. De Or. III 50 de Fufio et Pomponio.).

Ne alteram quidem Theophrasti laudem, quam unam λέξεως ἀρετήν esse Aristoteles docuit⁵⁾, Crassus dignatus est, quam longe explicaret: „Haec satis spero vobis quidem certe maioribus molesta et putida videri“ (III 51), neque ceteri rhetores, qui laudibus elocutionis utuntur, in perspicuitate morantur. Non quo hanc quoque virtutem grammaticis committerent, sed studia sua in unius fere ornatus tractationem adeo converterunt, ut ceteras virtutes elocutionis neglegerent⁶⁾; quamquam pauci

1) Concatenationem virtutum consulto ab inventore factam esse ita, ut insequens praecedente niteretur, veri simile est.

2) Quintil. VIII 2, 1: „Perspicuitas in verbis praecipuam habet proprietatem“. Auctor ad Herenn. IV 17: „Explanatio est, quae reddit apertam et dilucidam orationem; ea comparatur duabus rebus: usitatis verbis et propriis.“ Graece κύρια ἐπη.

3) Hoc praeceptum, quod ad σύνθεσιν apud recentiores pertinet, sub virtute perspicuitatis positum esse ad Theophrasti rationem cognoscendam teneamus.

4) Cf. π. Τψους cap. 22 initium, Aristot. Poet. 1458 a 25.

5) Vide infra p. 30 sqq.

6) Qua de causa non mirum est nullum fragmentum libri περὶ λέξεως ex duabus prioribus virtutibus desumptum esse.

quidem tam stolidi videntur fuisse magistri, quam fuit Quintiliano teste rhetor iste, qui discipulos iubebat: *σκότισσον*, tanto meliorem ratus oratorem, quanto difficilius intellexeretur. Iure suspicari licet Theophrastum multo maiorem operam, quam recentiores, praeceptis perspicuitatis dedisse neque ad Ciceronem solum provooco, qui docet et de verbis propriis et de plana continuatione verborum in hoc capite praeceptum fuisse, sed etiam ad Aristotelem, qui omnis in ea explicanda versatur; a magistri autem ratione *λέξεως* Theophrastum plane recessisse veri est dissimillimum.

III. Τὸ Πρέπον.

‘Decorum’ vel ‘aptum’ appellant Latini rhetores hanc virtutem. Quam tertio loco a Theophrasto positam esse elucet ex testimonio illo Tulliani Oratoris (79), quo numerorum ordo accurate et dilucide demonstratur. Etsi igitur Cicero in libro De Or. III decorum ornatui proposuit et Fabius quoque Ciceronis sui exemplum numerandi secutus est (XI 1, 1), nos tamen Theophrasti ipsius ordinem¹⁾ adhibere oportet.

Quid sit τὸ πρέπον quaeque eius praecipua fuerint praecepta, paulo accuratius quam in duabus primis laudibus mihi videtur exponendum esse, haec enim virtus ut minus apud rhetores decantata, ita nobis minus nota est; accedit, quod in hoc capite tractando iam oritur quaestio de tribus dicendi generibus, qui *χαρακτῆρες λέξεως* Graece vocantur.

Oratoribus summi momenti esse virtutem *πρέποντος* Tullius his verbis docet: „Ut in vita, sic in oratione nihil est difficilius, quam quid deceat, videre: *πρέπον* appellant hoc Graeci, nos dicamus sane decorum; de quo praeclare et multa praecipuntur et res est cognitione dignissima Itaque hunc locum longe et late patentem philosophi solent in officiis tractare²⁾ — non cum de recto ipso disputant, nam id quidem unum est — grammatici in poetis, eloquentes in omni et genere et parte causarum“ (Or. 70 sq.). Neque tamen hoc loco neque in maiore opere De Oratore (III 210—212) eam laudem elocutionis, quam longe et late patere ipse affirmavit³⁾, longe etiam explicavit. Ea autem praecepta, quae summatim comprehendit, non inutile erit cum similibus quibusdam ab Horatio expositis in celeberrima, quam ad Pisones dedit, epistola, comparare. Poetae videndum erat, ut descriptas servaret vices (Hor. A. P. 86) neve *εἶδη ποιήσεως*, si Graeco uti licet vocabulo, per-

1) Vide caput V totius operis.

2) Cicero de officiis I 93 sqq.

3) Etiam De Or. I 132. Πασῶν ἐν λόγοις ἀρετῶν ἡ κυριωτάτη τὸ πρέπον Dionys. Halic. ep. ad Pomp. c. 3 p. 776 R.

misceret, veluti tragicis versibus si rem comicam exponeret (A. P. 90). Orator autem in genere peccabat, si de stillicidiis apud unum iudicem amplissimis verbis dicebat, de maiestate populi Romani summis (Cic. Or. 72). Multum in arte poetica interest, „divosne loquatur an heros, matorusne senex an adhuc florente iuventa fervidus“. Poeta autem instructus aut exemplis, quae Graeci et Romani poetae prioris aevi suppeditant (A. P. 120 sqq.), aut philosophorum disciplina sciet „reddere personae convenientia cuique“⁽¹⁾ (A. P. 309). Etiam ad eos, qui audiunt, accommodanda poetae sunt carmina (A. P. 248 sqq.). Eadem ratione orator verba sua accommodare debet ad personas „et eorum, qui dicunt, et eorum, qui audiunt“ (Cic. Or. 71). Capita denique *πρόποντος* summatim enumerantur Cic. De Or. III 120: „Non omni causae nec auditori neque personae neque tempori congruere orationis unum genus.“⁽²⁾ Oratoribus enim variandi studio inflammatis opus est quasi habenis, quibus vires moderari possint. Haec autem decori ratio est atque natura, ut certis praeceptis oratores doceat variandi copiis pro varia occasione temperare. Sequitur, ut omnes variandi et loci et instrumenta in *πρόποντος* caput cadere possint. Quae innumerabilia fere sunt. Inprimis autem varia dicendi genera huc pertinent. Itaque Quintilianus ita de ‘apta’ dictione praefatus est: „Quid enim prodest esse verba et Latina (*ἑλληνισμός*) et significantia (*σαφές*) et nitida, figuris etiam numerisque elaborata (*κατασκευή*), nisi cum iis, in quae iudicem duci formarique volumus, consentiant, si genus sublime dicendi parvis causis, parvum (pressum I. Müller) limatumque grandibus, laetum tristibus, lene asperis, minax supplicibus, submissum concitatis, trux atque violentum iucundis adhibeamus?“ Fabius igitur, quem tria genera non ignorasse ex libro XII satis perspicitur, in decori capite omnes variandi differentias sibi putavit afferendas esse. Aristoteles quidem parcius, sed genera et ipse quoque in *πρόποντος* finibus collocavit: „Τὸ δὲ πρόπον ἐξεῖ ἡ λέξις, εἰάν ἢ παθητικὴ τε καὶ ἡθικὴ καὶ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογον. τὸ δ’ ἀνάλογόν ἐστιν, εἰάν μήτε περὶ εὐλόγων αὐτοκαβδάλως λέγεται μήτε περὶ εὐτελῶν σεμνῶς, μηδ’ ἐπὶ τῷ εὐτελεῖ ὀνόματι ἐπὶ κόσμος (Rhet. III 7 p. 1408 a 10). Eadem ratione Theophrasto, Aristotelis discipulo, de verborum cum rebus et personis consensu dicendum erat. Varia etiam genera dicendi tractanda fuisse ex Aristotele et Quintiliano

1) Cf. Cic. Or. 74. Aristotelem: Rhet. III p. 1408 a 26. Plures partes a recentibus rhetoribus divisae sunt, vide Pseudo-Dionysii *Τεχν. Πρωτοφ.* p. 123, 11 (U—R), quocum conferas Dionys. de Lysia c. 9 p. 470 R.

2) Quintil. XI 1, 4 „Hunc locum Cicero breviter in tertio de Oratore libro perstringit, neque tamen videri potest quidquam omisisse dicendo: Non omni causae nec auditori etc.“

intellegitur. Quodsi autem Cicero in libro De Or. III *tria* illa genera *πρέποντος* capiti subiecit¹⁾, quamquam eam laudem e Theophrasti libro recepit, non est, cur Theophrasto *tria* genera attribuamus. An Aristoteles, an Quintilianus illa eodem loco tractaverunt? An omnia singula verborum ornamenta et omnes, quas accipimus, figuras dicendi ex Ciceronis libro De Oratore III etiam in Theophrasti opus referamus, quia ornatus laudem Ciceronem ab eo acceptam habere cognovimus? Immo vero Cicero, qui in decoro varia quaedam genera dicendi tractata invenit, facile *tria* ista genera, quae tum magnopere valebant omnibusque dicendi studiosis nota erant, supposebat. Illud etiam animadvertendum est Tullium praeter *tria* genera alios quoque *πρέποντος* observandi locos exponere, veluti laudationes deliberationes iudicia sermones consolationem obiurgationem disputationem historiam²⁾, necnon de personarum et temporum differentia eum dicere.

Πρέποντος ratio et historia nondum satis explicata est. Multa ad eam cognoscendam Aristoteles conferet, multa de poetico usu Horatius, ad oratoriam rationem nonnulla optimae frugis plena Demetrius per totum *περὶ ἑρμηνείας* libellum dispersit. Gravis testis apud Romanos Tullius est. Dionysius autem Halicarnasensis adhibendus quidem est, sed decorum magis laudibus effert, quam praecepta eius docet. Recentiores rhetores doctrinam philosophica sinceritate privant. Quae Fabius in librum XI collegit, iam satis perturbata et ex diversis partibus permixta sunt. Ita recentiores fere omnes. Magnum autem nomen in historia *πρέποντος* Theophrastus noster obtinebit. Sed nunc non est hic locus. Hoc in capite satis est de universa *πρέποντος* indole eiusque inter laudes elocutionis auctoritate te certiore fieri. Iam ad quartam virtutem pergamus.

IV. Ornatus (*κατασκευή*).

De ornatu Ciceronis verba in Oratore tam aperta sunt, ut neque de nomine Theophrasti neque de numero laudis dubitare liceat, nam: „quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus ornatum illud, suave et affluens.“ In hoc capite etiam magis, quam in decoro, cavendum est, ne singulorum praeceptorum paene immensa copia nos perturbari

1) De Or. III 212 „Itaque hoc loco nihil sane est quod praecipere posse videatur, nisi ut figuram orationis plenioris et tenuioris et item illius mediocris ad id, quod agemus, accommodatam deligamus. Ornamentis eisdem uti fere licebit alias contentius, alias summissius.“ Ultima verba et omnia, quae his, quae attuli, verbis praecedunt, ad Theophrasti rationem quadrant.

2) Vide Rhetorica III 12 (p. 1413b), ubi Aristoteles tribus generibus, *ἐπιδεικτικῶς*, *συμβουλευτικῶς*, *δικανικῶς* aptam suam cuique orationem ascribit.

patiamur, priusquam iudicium nostrum in universa eius virtutis indole stabilitum sit.

Opportune autem accidit, quod praeter ea fragmenta libri *περὶ λέξεως*, quibus de singulis quibusdam ornandae dictionis praeceptis Theophrasti certiores fimus, duo exstant, quae summatim res ab eo tractatas comprehendunt. De quartae laudis divisione primus audiendus est Dionysius Halicarnasensis: *Καθόλου δὲ τριῶν ὄντων, ὡς φησι Θεόφραστος, ἐξ ὧν γίνεται τὸ μέγα καὶ σεμνὸν καὶ περιττὸν ἐν λέξει, τῆς τε ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων καὶ τῆς ἐκ τούτων ἁρμονίας καὶ τῶν περιλαμβονόντων αὐτὰ σχημάτων κτλ.* (de Isocrate c. 3 init. p. 539R Frgm. V Schmidt p. 6 Mayer). Lysiam enim, qui loquitur *ὥσπερ ἰδιώτης* et insignia ornamenta contemnit omnia, Dionysius illo capite cum Isocrate comparat, ornatissimo oratore. Qua in re Theophrastum adhibet, ut capita habeat, quibus differentias explicare possit. Itaque nobis, ut qui de Theophrasti laudibus a Cicerone iam eruditi simus, dubium esse nequit, quin de quarta laude Dionysius dicat. Sequitur, ut Theophrastus ornatum in tres partes diviserit: *ἐκλογὴν, ἁρμονίαν, σχήματα.*

Admonendum vero est, ne eam partitionem, quae in delectu et compositione verborum posita sit, totius *λέξεως* partitionem esse credamus, quia Dionysium ipsum et alios recentes rhetores ea partitionis ratione usos esse videmus.¹⁾ Qui totam elocutionem in quattuor laudum capita divisit, facere non potest, quin delectum et compositionem verborum illis capitibus subiungat. Altera enim divisio alteri certe subicienda est.²⁾ Dionysii testimonium probatur Theophrastum ornatus laudem fecisse generale caput, *ἐκλογὴν, ἁρμονίαν, σχήματα* autem tamquam partes huius capitis. Atque primum quidem apparet talem *ἁρμονίαν* non recentioris *συνθέσεως* ratione omnia, quae inde a litteris et syllabis usque ad numeros oratorios et periodos ad verborum continuationem pertinent, complecti, sed ornamenta tantum compositionis. Quod vocabuli etiam diffe-

1) Vide, ut afferam exemplum, Dionys. H. de comp. verb. c. 1 p. 5 R.

2) Falsus est, qui in eodem libro *περὶ λέξεως* antea *ἐκλογὴν* et *σύνθεσιν* putat esse tractatas, postea vero virtutes elocutionis, quibus eadem capita iterum subiecta sint. Altera enim capita alterorum praecepta repetere debent. Revera omnia, quae Mayerus in nova editione *ἐκλογῆς* proprio capiti dedit, ad ornatum pertinent (Mayer p. 51—67). A Dionysio deceptus est; sed ne ille quidem in iis iudiciis, quae virtutibus utuntur, etiam *ἐκλογὴν* et *σύνθεσιν* separatim persequi audet (cf. iudicia de Lysia, de Isocrate, de Isaeo.). Hoc igitur non verius est, quam illud, quod Mayerus ex Demetrii libro *περὶ ἑρμηνείας* unicuique virtuti proprium caput *πράγματα* (Demetrii *διάνοιαν*) subiicit. Theophrastus enim scripsit *περὶ λέξεως*, Demetrius *περὶ χαρακτήρων*. In his describendis rerum ratio habenda erat. De divisione virtutum Dionysii testimonium de Isocr. c. 3 sequi debuit.

rentia significatur, quoniam Theophrastus non communi vocabulo *συνθέσεως*, sed voce *ἁρμονία* usus est, quae ad ornatam compositionem magis idonea videtur esse.

Sed de vocabuli *συντιθέναι* usu vetustiore pauca dicenda sunt. Aristoteles enim, qui compositionem verborum, quatenus ad ornatum pertinet, capitibus 8 et 9 Rhet. III tractavit, vocem *συντιθέναι* sine illa vi, qua recentiores solent, adhibuit, ut omnem plurium verborum continuationem significaret. Delectui autem verborum *σύνθεσιν* adeo non opposuit, ut etiam iis locis hac voce uteretur, quibus de singulis verbis eligendis agebat. Confer, ut exemplis utar, Aristotelis Rhet. III c. 5 initium, quo loco postquam de singulorum verborum usu nonnulla disseruit, his verbis ad *ἑλληνισμόν* transit: *Ὁ μὲν οὖν λόγος συντίθεται ἐκ τούτων*. Apparet enim haec extrema verba nihil aliud sibi velle, quam ea, quae initio eius partis leguntur (1404 b 26): *ῥυθῶν δ' ὀνομάτων καὶ ῥημάτων, ἐξ ὧν ὁ λόγος συνέστηκεν*. Neuter locus ad compositionem, quam recentes appellant, pertinet, nec aliter ea verba, quae de Euripide dicuntur p. 1404 b 23: *κλέπεται δ' εὖ, ἐάν τις ἐκ τῆς εἰσθυίας διαλέκτου ἐκλέγων συντιθῆ· ὁ περ Ἐυριπίδης ποιεῖ καὶ ὑπέδειξε πρῶτος*. Quis enim dubitat, quin Euripidis delectus verborum laudetur, non compositio? Vox autem *συντιθέναι* omnibus illis locis suo iure adhibetur, modo ne angustis termini technici finibus eius vim definias. Qui enim verba deligit et conserit, certe *συντιθῆσι*, etsi nulla artis ratione adhibita id facit. Etiam Theophrasti fragmentum quoddam falsum locum apud Mayerum accepit, propter vocem *συντιθέναι*. Dionysius H. enim eum, qui orationem pulchram componendo reddere studet, primum in deligendis verbis bene sonantia et gravia quaerere iubet: *ὅσα καλλιλογίαν ἢ μεγαλοπρέπειαν ἢ σεμνότητα περιέληφεν ὀνόματα . . . εἶρηται δέ τινα περὶ τούτων καὶ Θεοφράστῳ τῷ φιλοσόφῳ κοινότερον ἐν τοῖς περὶ λέξεως, ἐνθα ὀρίζει, τινα ὀνόματα φύσει καλὰ [παραδείγματος ἕνεκα], ὧν συντιθεμένων καλὴν οἶεται καὶ μεγαλοπρεπῆ γενήσεσθαι τὴν φράσιν, καὶ αὐθις ἕτερα μικρὰ καὶ ταπεινά, ἐξ ὧν οὔτε ποίημα χρηστὸν ἔσσεσθαι φησιν οὔτε λόγον* (c. 16 p. 101 R). Theophrastus igitur de bene sonantibus et gravibus verbis dixit, ubi *κοινότερον* ea tractavit et definivit, i. e. in ea parte quartae virtutis, quae erat de simplicium verborum ornatu. Etiam si libellus *περὶ ἑρμηνείας* (173) non servavisset definitionem ipsam Theophrasti, qua *κάλλος ὀνόματος* explicatur, non debuit Mayerus fragmentum Dionysii appellare *περὶ συνθέσεως ὀνομάτων*.¹⁾ Immo vero Dionysio gratias agamus, quod totius capituli Theophrastei de ornatu

1) Vid. p. 72. Mayerus ob id ipsum Theophrasti partem multo longius, quam verum est, in verba Dionysiana continuavit.

simplicium verborum argumentum suis verbis comprehendit. Inde cognoscere licet Theophrastum uno et simplici nomine *καλὰ ὀνόματα* usum esse et probato huic generi verborum opposuisse ea, ex quibus neque oratio neque carmen laude dignum fieri posset. Quod autem legimus: *ὧν συντιθεμένων* hoc eundem usum vocis *συντιθέναι* ostendit atque Aristotelis loci supra allati, quo singula verba *μόρια* esse *τοῦ λόγου* significatur, sed ne hilum quidem is locus docet de ratione componendi. In altera parte, quae de humilibus verbis est, illa *ἐξ ὧν . . . ἔσεσθαι* prorsus respondent prioribus verbis *ὧν συντιθεμένων*. Proinde et hoc fragmentum capiti *περὶ ἐκλογῆς καλῶν ὀνομάτων*, quae pars erat *κατασκευῆς*, relinquamus neve eos¹⁾ audiamus, qui ex Aristotelicis locis supra laudatis dispositionem tertii libri Rhetoricorum maxime turbatam et *σύνθεσιν* cum *ἐκλογῇ* permixtam esse conabantur demonstrare. Illi certe loci testimonio esse non possunt.

Sed ad quartae Theophrasteae virtutis divisionem revertamur. Recentiori arte nos non licet impediri, quominus Dionysii verbis de Isocr. c. 3 ita, ut leguntur, fidem habeamus et *ἐκλογὴν ἁρμονίαν σχήματα* ornatui quasi capita subiciamus.

Quae ratio quartae virtutis tribus prioribus virtutibus probatur, quibus in singulis, ut Tullius et Quintilianus docent, et de simplicibus verbis et de coniunctis agebatur. *Πρέποντος* capite omnia, quae ad varianda verba pertinent, tractari cognovimus, grammatica Latinitatis ratio tam in singulis verbis (*βαρβαρισμός*) quam in coniunctis (*σολοικισμός*) observatur, *σαφήνειαν* virtutem non solum *κύρια ἔπη*, sed etiam plana et minime intricata compositio efficit (De Or. III 49 Quintil. VIII 2, 14). Itaque si *σχήματα* omittimus, quorum ea est vis atque natura, ut in ornatu solo tractari possint²⁾, etiam reliquae virtutes eadem ratione divisae sunt, quam quartae virtutis fuisse Dionysius tradidit.

1) Cf. Roemer: Editionis praef. p. LXXXI Marx: Aristoteles' Rhetorik (Ber. süchs. Gesellschaft. Vol. LII, 1900) p. 277, etiam G. Süß: Ethos p. 178.

2) *Σχήματα* a recentioribus in compositionis capite collocari solent. Theophrastus autem cum *ἁρμονίαν* ita terminaret, ut ornatam tantum periodorum et numerorum rationem comprehenderet, figuris proprium praeter *ἁρμονίαν* caput dare debuit. Differentia enim, quae intercedit inter figuras in pluribus verbis positas et rationem componendi, eum non fugit. In continuatione verborum figuras versari ipsis Dionysii verbis demonstratur: *τῶν περιλαμβανόντων αὐτὴ (scil. τὰ ὀνόματα) σχημάτων*. Ceterum Schraderus non puto assentiendum esse, qui in Hermae vol. 39, 586sq. demonstrare temptavit, vocabulum *σχήματα* apud Theophrastum non eandem habuisse vim, quam Latine figuras aut recentium Graecorum *σχήματα λέξεως*. Ipse Schraderus ita *σχήματα* Theophrastea interpretari studet, ut in *ἁρμονίας* capite ea collocet neque intellegatur, cur Theophrastus proprio ea capite donaverit. Numerum sane figurarum magis magisque auctum esse nemo nescit.

Atque haec quidem de partitione quartae virtutis Theophrasteae ex fragmentis cognoscimus, quae cum nomine auctoris servata sunt. Probantur haec et illustrantur, cum iam ad Tullii librum De Oratore III et eos auctores, qui virtutes Theophrasteas receperunt, redibimus. Divisionem *totius* elocutionis in *ἐκλογήν* et *σύνθεσιν ὀνομάτων* Cicero in libro De Or. III non novit. Quattuor virtutes omnem λέξιν comprehendunt. Quarta autem ornatus virtus dividitur primum quidem in 'ornatum ex singulis verbis' (*ἐκλογήν*) et 'ornatum ex continuatis' (*ἀρμονίαν*) De Or. III 149 III 171. Desideramus igitur *σχήματα*. Quamquam recentiores ea in compositione collocabant, tamen Cicero hac quoque in re priorem doctrinam secutus continuationem ita terminat, ut figuris locus non detur (III 171). Absoluta deinde compositione perorare videtur (III 199). Tum denique *σχήματα* adnectit et ipse suam bipartitionem ornatus tertio capite complet, ut orbem Theophrasteum restituat (§ 200sqq).

Nihil mutatum est, nisi quod figurae cum compositione in ornatum *perpetuae* orationis convenerunt. Omnem Tullii rationem perspicere licet ex De Or. III 201: „(Vos) admonendos puto, ne quid esse aliud oratoris putetis, quod quidem sit egregium atque mirabile, nisi in singulis verbis (I) illa tria tenere, ut translatis (a) utamur frequenter, interdum factis (b) raro autem pervetustis (c). In perpetua autem oratione (II), cum (a) et coniunctionis levitatem (1) et numerorum, quam dixi, rationem (2) tenuerimus, tum (b) est quasi luminibus distinguenda et frequentanda omnis oratio sententiarum (1) atque verborum (2)“¹⁾ Auctor ad Herennium et Quintilianus a Theophrasto longius iam differunt. Quintilianus tamen ipsam rem aperte probat, quoniam virtutibus, quae sunt summa elocutionis capita, *ἐκλογήν* et *σύνθεσιν* subiecit. Quam avide compositio suos terminos propagaverit, inde cognoscitur, quod Fabius etiam tralata verba a delectu verborum ad eam transfert (Quint. VIII 3, 38). De divisione ornatus ita dicit VIII 3, 15: „Et quoniam orationis tam ornatus quam perspicuitas aut in *singulis* verbis est aut in *pluribus* positus“ etc. Multo liberius Auctor ad Herennium, qui item virtutes Theophrasteis similes recepit. Duo enim capita ornatus ex tribus illis adeo aucta erant, ut ex imperio virtutis soluta proprios fines

1) In Oratore Tullius ornatum ad iudicium de generibus ferendum adhibet eamque virtutem prope a Theophrasti ipsius nomine laudato (§ 79) ita dividit, ut in libro De Or. III „Unus (scil. ornatus) simplicium, alter collocatorum“ § 80. Inter ornamenta collocatorum verborum etiam *σχήματα* ducit § 83. *σχήματα* autem *διανοίας* proprium caput fecit: „(ornamenta) alia rerum, alia verborum“ § 80) cf. 81 ubi pro 'rerum' dicit „sententiarum ornamenta“ et 83 „quod idem verbum (scil. *σχήματα*) ab iis etiam in sententiarum ornamenta transfertur“.

occuparent, *ἀρμονία* et *σχήματα*. Quo factum est, ut virtuti nihil relinqueretur nisi unum caput singulorum verborum. Ita certe virtus *σαφηνείας* tractatur IV 17. Deinde sequitur compositio IV 18, tum *σχήματα* c. 13sqq. Praetermisit igitur, quae de *ornatu* singulorum verborum dicenda erant, quamquam translationem inter figuras (exornationes) recepit. Omnem curam in eas et in compositionem contulit. Sed ne ita quidem nos celat, quae ratio inter virtutes et capita *ἐκλογῆς ἀρμονίας σχημάτων* inde a Theophrasto intercesserit. Immo vero eiusmodi differentiae quasi magna voce enarrare mihi videntur de saeculorum studiis cum annis mutatis. Historia docet. An quicquam de mutatis artis rhetoricae studiis maius est documentum, quam Theophrastum philosophum omnia ornamenta orationis eodem unius virtutis iure comprehendisse, quod orationis virtutibus *ἑλληνισμῶ σαφηνεία πρόποντι* pariter concessit, rhetores vero insequentis saeculi omnem *λέξιν* sub potestatem ornatus rede-gisse, cum ea, quae antea *unius ornatus* capita erant, *ἐκλογή* et *σύνθεσις*, iam *totius* elocutionis capita facta essent? Nam etsi sub iis quoque capitibus quaedam verba fiebant de puro et dilucido sermone, tamen pari iure non iam utebantur illae virtutes. Res publica virtutum, quarum sua quaeque civitate fruebatur, diruta est, ut ornatus tyrannus reliquas subigeret. Theophrasti auctoritati, qua usus est apud posteros, gratias debemus, quod rhetorica ratio unice cupida ornandae elocutionis non dico contempta est a Romanis, cum multa inde reciperent, sed in vetustioribus fundamentis rursus stabilita est. Si de Atticis ex virtutibus iudicare licet, tres virtutes *ἑλληνισμοῦ σαφηνείας πρόποντος* recte defenderunt contra ornatum nimis superbientem, nihil falsi, nisi quod eum omnino condemnarent.¹⁾ Omnis autem aetas non solum antiquitatis, sed etiam nostri aevi, tumore et verborum inani iactantia laboravit, quae *ἰσομοιρίαν* a philosopho natura duce constitutam dissolvit et ornatum unum ad bene dicendum existimavit necessarium esse. Sed de Ciceronis testimonio hactenus. Comparato enim maiore *λέξεως* tractatu libri De Or. III locus ille Oratoris (79), quo de Theophrasti quattuor laudibus orationis certiores facti sumus, explicatus et probatus est. Satis igitur te instructum puto esse, ut de Simplicio iustum iudicium feras.

In Simplicii commentario in Aristotelis categorias leguntur haec verba: „καθὸ μὲν γὰρ λέξεις, ἄλλας ἔχουσι πραγματείας, ἃς ἐν τῷ Περὶ τῶν τοῦ λόγου στοιχείων ὃ τε Θεόφραστος ἀνακινεῖ καὶ οἱ περὶ αὐτὸν γεγραφότες, οἷον πότερον ὄνομα καὶ ὄχημα τοῦ λόγου στοιχεῖα ἢ καὶ

1) Hoc etiam Cicero dicit, modo eius verba Or. 79 ex controversia Atticis illata ad historiam et doctrinae per tempora continuationem deferamus.

ἄρθρα καὶ σύνδεσμοι καὶ ἄλλα τινά· λέξεως δὲ καὶ ταῦτα μέρη, λόγον δὲ ὄνομα καὶ ῥῆμα· καὶ τίς ἢ κυρία λέξις, τίς δὲ ἢ μεταφορική, καὶ τίνα τὰ πάθη αὐτῆς, οἷον τί ἀποκοπή, τί ἀφαίρεσις, τίνες αἱ ἀπλαῖ, τίνες αἱ σύνθετοι, τίνες αἱ ὑποσύνθετοι καὶ ὅσα τοιαῦτα, καὶ ὅσα περὶ ἰδεῶν εἴρηται, τί τὸ σαφὲς ἐν ταῖς λέξεσιν, τί τὸ μεγαλοπρεπές, τί τὸ ἡδὺ καὶ πιθανόν“ (Simplic. in Aristot. Categ. ed. Kalbfleisch p. 10, Schmidt Frgm. p. 38, Mayer p. 15sq.). Hoc fragmentum ab omnibus, qui de Theophrasti praeceptis λέξεως scripserunt, afferri solet, quasi ipsius Simplicii esset auctoris. Quod mirum sane est. Revera enim eum, qui Simplicii verba diligenter perlegit, fugere non potest, quin Porphyrius sit is, cui illud Theophrasti fragmentum debemus. Res tam aperta est, ut describendis omnibus Graecis verbis paginas complere nolim. Inde ab his verbis: ὁ δὲ Πορφύριος σκοπὸν εἶναι τοῦ βιβλίου φησὶν ἐν τε τῷ πρὸς Γεδάλειον καὶ ἐν τῷ κατὰ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν κτλ. (Kalbfleisch p. 10, lin. 20) usque ad haec verba: προστίθησιν δὲ καὶ τὰ τοῦ Βοήθου ὁ Πορφύριος (p. 11, 23) paraphrasin Porphyrii scripsit Simplicius. Ipsius demum verba incipiunt hoc loco: δῆλον οὖν ἐκ τῶν εἰρημένων . . . (p. 11, 30). Porphyrius igitur, cum categorias ab oratoria dictione separaret¹⁾, Theophrasto usus est auctore ad capita λέξεως enumeranda. Categorias enim dicit esse „περὶ φωνῶν μὲν ἀπλῶν καὶ λέξεων . . . καθὸ δὲ σημαντικαὶ τῶν ὄντων εἰσὶ τῶν πρώτων καὶ ἀπλῶν, ἀλλ’ οὐ καθὸ παρασχηματίζονται ἢ συσχηματίζονται ἢ πάθη τοιάδε ἀναδέχονται καὶ ἰδέας ἔχουσι τοιάσδε, ἅπερ ἢ περὶ τῶν λέξεων ὡς λέξεων ἐπίσκεψις πολυπραγμονεῖ“ (Simplic. l. c. p. 11, 32). Quod cum Porphyrii consilium fuerit, verba supra allata: καθὸ μὲν γὰρ λέξεις, ἄλλας ἔχουσι πραγματείας, ἅς ἐν τῷ περὶ τῶν τοῦ λόγου στοιχείων ὃ τε Θεόφραστος ἀνακινεῖ καὶ οἱ περὶ αὐτὸν γεγραφότες non ita intellegenda esse credo, ut περὶ τῶν τοῦ λόγου στοιχείων ipsa tituli forma fuerit — neque enim de tali Theophrasti libro aliunde quicquam comperimus et Porphyrius praeter Theophrastum alios advocat, quos omnes eiusdem tituli libros composuisse certe non vult affirmare — sed ut pars et quasi caput artis significetur, quo λέξεις καθὸ λέξεις tractentur, categoriarum capiti oppositum. Quoniam autem verba περὶ τῶν τοῦ λόγου στοιχείων de argumento, non de titulo explicanda esse censeo, etiam in sequentibus verbis malo cum pluribus codicibus οἱ περὶ αὐτῶν γεγραφότες legere quam cum uno libro et editoribus οἱ περὶ αὐτὸν γεγραφότες.²⁾

1) Adnotandum est aperta vestigia Porphyrianæ rationis κατὰ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν in Simplicii verbis deprehendi. Ita enim eius quaestiones continuæ explicandæ sunt. Primæ quaestioni etiam ἀπόκρισις addita est.

2) Περὶ αὐτῶν lectio gravissimo codicum genere diversorum (I. K. A. apud

Atque haec quidem de auctore et de titulo. Venio nunc ad res earumque ordinem. Porphyrius singillatim debuit res enumerare, ut *πραγματείας* oratoriae *λέξεως* distincte percenseret, eadem ratione, qua, ut afferam exemplum, Tullius pater in Partitionibus oratoriis filio orbem totius artis in singula dissolvit capita. Nihil igitur e Porphyrio ad capita Theophrastea ipsa cognoscenda lucramur. At coniungendi et comparandi inter se ita sunt Cicero et Porphyrius, ut ille dispositionem et capitum rationem, hic aliquid de singulis rebus suppeditet. Theophrastum igitur primam constituisse virtutem *ἑλληνισμόν* a Cicerone accipimus. Res grammaticas hoc capite tractari probatur consensu Auctoris Herenniani, Ciceronis, Quintiliani. Porphyrius autem docet Theophrastum in *ἑλληνισμοῦ* parte egisse de elementis dictionis¹⁾, de syncopis similibusque verborum mutationibus, de nominum generibus.²⁾ Ad alteram *σαφημείας* laudem pertinet *ἡ κυρία λέξις*, ad ornatum *ἡ μεταφορικῆ*. Postremo vero quodsi Porphyrius addidit *καὶ ὅσα περὶ ἰδεῶν εἴρηται· τί τὸ σαφές ἐν ταῖς λέξεσιν, τί τὸ μεγαλοπρεπές, τί τὸ ἡδὺ καὶ πιθανόν*, in vocabulo *ἰδεῶν* haeremus, quo videmur prohiberi eas cum laudibus, quas Cicero enumerat, comparare. Ex historia enim virtutum, quam inde a capite III tractabimus, Theophrastum, ut Aristotelem Stoicos Dionysium Halicarnasensem, nomine *ἀρετῶν* usum esse elucebit. Neque dubium est, quin Cicero, cum de Theophrasti *laudibus* orationis diceret, illud Graecum vocabulum transtulerit.³⁾ Itaque Radermachero assentior Porphyrium ex suae aetatis artibus rhetoricis depromptum nomen *ἰδεῶν* pro vetere nomine adhibuisse. Atque ut hac in re Tullio maiorem fidem habere cogimur, ita etiam reliqua Porphyrii verba de ideis interpretanda sunt ex laudibus a Tullio allatis. Primae laudis nomen Porphyrius eo facilius praetermittere poterat, quo plura antea ca-

Kalbfleisch) consensu defenditur. Ceterum non sententia solum desiderare videtur *περὶ αὐτόν* lectionem, sed etiam verba. Vox enim *γεγραφοίτες*, si legis *οἱ περὶ αὐτόν*, claudicat.

1) Quae Theophrastus *στοιχεῖα λέξεως* appellavit, alii aliter, vide Dionys. H. de comp. verb. c. 2 p. 8R.

2) Graece *εἶδη ὀνομάτων*. Porphyrii verba: „*τινες αἱ ἀπλαῖ, τινες αἱ σύνθετοι, τινες αἱ ὑποσύνθετοι καὶ ὅσα τοιαῦτα*“ conferenda sunt cum Aristotele (Poet. 1457a31): „*Ὄνοματος δὲ εἶδη τὸ μὲν ἀπλοῦν . . . τὸ δὲ διπλοῦν (= σύνθετον) . . . εἴη δ' ἂν καὶ τριπλοῦν καὶ τετραπλοῦν ὄνομα καὶ πολλαπλοῦν (= ὑποσύνθετον)*“. Falso Porphyrii locum ad *σύνθεσιν ὀνομάτων*, quae *ἑυλογῆ* opposita sit, Mayerus rettulit (p. 16).

3) Radermacher (Rh. Mus. 54, 375): „Wenn Cicero (Or. 79) sagt: 'unum aberit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus' . . ., so sehe ich nicht ein, was anders mit den laudes orationes übersetzt sein soll, als das griechische *ἀρεταὶ λέξεως*.“ Sed falso putat Mayerus, utrumque nomen eandem habuisse vim (p. XV).

pita eius enumeravit. Alteri laudi perspicuitatis respondet nomen τὸ σαφές, tertiae decori laudi illud πιθανόν, quod extremum legitur. Hoc enim in vetere dumtaxat arte cum decoro coniunctum erat.¹⁾ Restant apud Porphyrium τὸ μεγαλοπρεπές et τὸ ἡδύ, quae ut in unam ornatus laudem contrahamus, et numero quattuor laudum impellimur et ab ipso Cicerone admonemur, qui non solum multis locis ornamenta distinxit in ea, quae voluptati et suavitati prosunt, et ea, quae gravitatem et magnificentiam efficiunt²⁾, sed etiam illo Oratoris loco, cum tribus pro una laude ornatus nominibus uteretur, Theophrastum hanc virtutem e pluribus partibus composuisse docuit. Ut autem 'suave' cum Porphyriano verbo ἡδύ coniungendum est³⁾, ita sub Tulliano 'afluens' gravitatem quaerimus et illud περιττόν, quod a Dionysio ad Theophrastum delatum est.⁴⁾ Idem recentes Latini 'magnificum' solent vocare, Graeci τὸ μεγαλοπρεπές.

Iam habes omnem rationem, quae inter Tullii et Porphyrii testimonium intercedat. Alterum ab altero aliquantum differre non potest negari. Sed si tempora et personas iudicabis et ad recentiore indolem eorum, quae in Porphyrio differunt, animum attendes, non dubitabis, cui maior habenda sit fides.

Quae cum ita sint, ii non audiendi sunt, quibus Simplicii, ut pro Porphyrio dicere solent, umbra obstitit, quominus lucem in verbis Tullianis conspicerent. Quo in numero habendi sunt Maximilianus Schmidt (De Theophrasto rhetore Halis Saxonum 1839, p. 45), Otto Jahn (in commentario Tulliani Oratoris), Hermannus Diels, cuius haec sunt verba: „Theophrast zählt ganz unbefangen als Hauptarten des Stiles das σαφές . . . , ferner ἡδύ, μεγαλοπρεπές und endlich das πιθανόν auf“, quae omnia a Porphyrio repetita sunt. Quin etiam Ciceronem in adnotatione expressis verbis procul habet: „vgl. Cic. Orat. 79, wo jedoch die drei andern Arten nicht aus Theophrast genommen sein können“ (Abh. Berl. Ac. 1886 p. 12). Rectius vel ii iudicaverunt, qui quattuor Ciceronis lau-

1) Quod, ut unum afferam testem, Aristoteles probat Rhet. III, 1414a28 τὸ πιθανόν ἐκ τοῦ πρόποτος cf. 1408a19, 1408b3. Schmid Rh. Mus. 49, 145.1 dubitat, utrum cum suavitate (ἡδύ) τὸ πιθανόν coniungendum sit, an cum decoro. Prior autem sententia ex recentiore arte rhetorica probari potest, ad Theophrastum altera sola quadrat.

2) Quae eadem ratione inter se differunt atque ἡθος et πάθος. ἡθος enim ad suavitatem est accommodatum, πάθος ad magnificentiam.

3) In hac virtutis parte nulla dissensio est. Itaque non debuit Rabius (de Theophrasti libris περὶ λέξεως) vocem 'suave' mutare in 'grave'. Gravitas subest voci 'afluens'.

4) Τὸ μέγα καὶ σεμνὸν καὶ περιττόν ἐν λέξει Dionys. de Isocr. p. 539R (c. 3). Cf. Περί Ὑψους 3,4 etc.

des Theophrasto omnes tribuerunt, sed Porphyrium secuti praeter eas complures etiam alias illis quattuor addere voluerunt. Ita quidem H. Rabe (l. l. p. 42) quamquam falsis argumentis e tribus generibus quaesitis utitur, tamen recte concedit: „Aperte igitur quattuor virtutes a Cicerone allatae Theophrasteae sunt omnes“. Sed ut differentiam inter Porphyrium et Ciceronem explicet, omnem elocutionem in *ἐκλογὴν* et *σύνθεσιν ὀνομάτων* partitus virtutes maioribus his partibus subicit et apud Porphyrium singulorum verborum virtutes sibi videtur repperisse, apud Tullium coniunctorum. Quod non minus a Ciceronis consilio, quale nos supra cognovimus, abhorret, quam quod opinatur non omnes ab eo virtutes coniunctorum verborum ex Theophrasto afferri (l. l. p. 43). Similiter interpretatus est Guilelmus Schmid, etsi diverso nomine *ιδεῶν* utitur: „Theophrast unterschied mindestens vier *ιδέαι λέξεως* — daß es bloß vier gewesen seien, kann weder aus Cicero, der mit dem quartum nicht die letzte Nummer gemeint zu haben braucht¹⁾, noch aus Simplicius, der keinerlei Interesse hat, hierüber vollständig zu sein (wie denn auch die Reihenfolge der *ιδέαι* bei ihm nicht mit der von Cicero bezeugten übereinstimmt, also ungenau wiedergegeben ist) geschlossen werden“ (Rh. Mus. 49, 145). Qua in sententia ut Schmidium perseverasse credam, maxime adducor discipuli eius, Francisci Nassal, libello qui inscribitur: *Ästhetisch-Rhetorische Beziehungen zwischen Dionysius H. und Cicero* (Dissert. Tübingen 1910). Hic enim ideas ita fere, ut Schmidius, profert (l. l. p. 70). Novus denique editor fragmentorum, Mayerus, cum undecim *ιδέαις* Theophrasteas cum virtutibus confusas enumeraret (p. 16sq.), nomen et numeros, quos Tullius in Oratore (79) docuit, neglexisse videtur.²⁾ Quin etiam verba Tulliana coniciendo temptavit, cum scriberet: ‘ornatum illud, suave et fluens’ et in adnotatione explicaret: „Codices exhibent ‘afluens’, quod *correximus*“ (p. 14). Sed vereor, ut sit verum. Nam primum quidem codices non exhibent ‘afluens’, sed ‘adfluens’ aut ‘affluens’ (sic L.); illud affluens ab Heerdegeno scriptum est auctore Dombartio, qui alterum f grammatica ratione damnari ostendit. Deinde correcturae neque causam, cur facta opus sit, neque argumentum, quo probetur, addit, nisi quod nos defert ad Oratorem § 42. Quem locum si in editionibus nostris evolveris, sane quidem de epidictico genere hoc iudicium leges: „Dulce igitur orationis genus et solutum *et fluens*“. Satisne argumenti hoc tibi videtur esse, ut altero loco etiam ‘adfluens’

1) Ad verba Tulliana ‘unum aberit sqq.’ minus attendit.

2) Mayerus undecim *ιδέαις* Theophrasti enumerat. Multas putat Ciceronem omisisse, duas autem, ornatum et suavitatem, perperam in unam virtutem contaminasse, eo scilicet loco, quo Tullius enumerationi anxie operam dedit.

mutetur in 'fluens'? Quid, quod ipsum illud 'fluens', quo nititur Mayerus, *coniectura* est Orelli, Laudensis autem, cuius apographis solis illa pars continetur, exhibet 'effluens'? Debit igitur levi mendo sublato pro Orelli *coniectura* Tullianum verbum etiam Or. 42 redintegrare et affluens (sic. L. etiam Or. 79) aut potius meliorem usum orthographiae secutus 'afluens' scribere, nequaquam autem e *coniectura* *coniecturam* depromere.

Iam satis mihi dictum est de iis, quos Porphyrius videtur in errorem compulsisse. Libenter transeo ad eos, qui levibus quibusdam differentiis omissis eadem ratione locum illum Tulliani Oratoris interpretantur, quam nos exposuimus. Strillerus in libro, qui inscribitur „De Stoicorum studiis rhetoricis“ (Breslauer phil. Abh. vol. I, pars II) haec pronuntiat: „Ex his verbis (Or. 79) nihil aliud concludi posse existimo quam Theophrastum quattuor orationis 'laudes' posuisse has: τὸ ἐλληνίζειν (quod respondeat sermoni puro et Latino), τὸ σαφές, τὸ πρόπον, τὸ ἡδύ“ . . . Virtutes igitur orationis Theophrastus meo quidem iudicio statuit τὸ ἐλληνίζειν, τὸ σαφές, τὸ πρόπον, τὸ ἡδύ (p. 51).¹⁾ Quartae virtuti etiam τὸ μεγαλοπρεπές adiciendum esse vidit Geigenmüller, qui etsi Strillero non usus est, eandem interpretationem Oratoris (79) defendit in dissertatione, quae inscribitur: „Quaestiones Dionysianae de vocabulis artis criticae“ (p. 39). Geigenmüllero equidem prorsus assentior, nisi quod 'decorum' cum Porphyrii probabilitate (πιθανόν) coniungo et ἐλληνισμόν in iis pono, quae ante ideas ille dixit; quare tabulam eius, qua Theophrasti virtutes elocutionis depinxit, in meum usum mihi liceat convertere. Haec autem est (l. l. p. 39):

Ἑλληνισμός	purum et Latinum
Σαφές	dilucidum planumque
Πρόπον (πιθανόν)	decorum
Κατασκευή	} ornatus.
{ μεγαλοπρεπές { ἡδύ	

Theophrasti igitur de quattuor virtutibus dicendi satis iam instructi sumus, ut virtutum historiam per scripta rhetorica persequamur. Quae duabus quaestionibus una respondebit. Studemus enim et videre, quibus rationibus virtutum doctrina ad λέξεως praeceptionem adhibita et commutata sit, et cognoscere, qua auctoritate Eresius philosophus sit usus apud posteros.

1) L. Laurand: De M. Tulli Ciceronis studiis rhetoricis (Thesis, Parisiis 1907) p. 40. Theophrasto tribuit quattuor virtutes, quae enumerantur Or. 79 et in libro III De Or. adhibentur, de tribus autem generibus certam sententiam ferre non audet, quamquam Theophrasti inventoris ea esse et ipse quoque credit.

CAPUT III.

DE INITIIS VIRTUTUM DICENDI.

Plato tanta utitur auctoritate, ut adversarios eius tales soleamus existimare, quales ex ipsius criminibus fuisse videantur. Platoni autem omnes *λογοδιδάσκαλοι* et sophistae maiore, quam debebant, opera formam dicendi colere videbantur securi de rebus earumque cognitione. Atque cum recentioris quoque aetatis rhetorici magistri sive a Platone commoti sive sua, quae ad verba maxime intendebat, ratione adducti eadem sophistarum studia inprimis commemorare consuevissent, factum est, ut nobis quoque Gorgiae et Thrasymachi eorumque gregarii praeter reliquas artis partes *elocutioni* curam impendisse videantur. Neque dubium est, quin ipsi in dicendo et in scribendo ornamenta verborum maxime affectaverint et propter ea praecipue laudati sint. Sed illud non magis dubium est, quin in praeceptis et in technicis libris ad institutionem artis rhetoricae comparatis unum fere *πραγματικὸν τόπον* tractaverint.¹⁾ Si enim fragmenta perscrutamur, perpauca invenimus ab iis ad ipsam *λέξεως* partem tradita, veluti Licymnii cuiusdam sententia de pulchris nominibus, quam attulit Aristoteles.²⁾

Sed neque Thrasymachi *ἔλαιο*, neque Gorgiae *περὶ καιροῦ* liber neque Protagorae aut communes loci aut *ὀρθόπεικα*, quam item ac Poli quaestiones etymologicae de grammatica verborum vi egisse constat, in elocutionis rhetoricae partem incidunt. Eorum *Τέχναι* argumentandi *τόπους*, *εἰκός*, *ἦθος*, *πάθος* docebant et orationis singulas partes (*μέρη τοῦ λόγου*) praeceptis instruebant.³⁾ Qua in re consentaneum est etiam de verbis idoneis quaedam explicata esse veluti in narratione, sed *λέξεως* institutio nondum descripta erat. Duplici ratione discipulos dicendi genus docebant. Primum quidem in poetarum interpretatione non solum res explicabant (cf. Simonidis carmen in Protogora Platonis), sed etiam lumina dicendi et verba insignia notabant, quae quin in usum pedestris orationis converterent, nullis legibus coercerentur.⁴⁾ Alterum erat, quod

1) De sophistarum artibus rhetoricis disseruit Gercke: Hermae vol. 32 (1897) p. 341sq. Quaestio sane obscura est, alia de hac re scripta percenset Lehnert: Bursiani Annal. vol. 125 p. 109.

2) Rhet. III 1405b5 cf. Diels: Abh. Berl. Ac. p. 29sq. Süß: Ethos p. 181.

3) Cf. quae in eos *τεχνολόγους* Aristoteles dixerit Rhet. I, 1 p. 1354a12 b17 Navarre: Essai sur la rhétorique grecque avant Aristote in altera operis parte *τέχνην* restituere temptat. Protagorae verba Diog. L. IX, 53 (falso Spengel: *Συναγ. τεχν.* p. 44) ad artem grammaticam pertinent.

4) Cf. Aristot. Rhet. III 1404a26.

sua ipsorum opera discipulis ad imitationem proponerent, cum exempla dare mallent quam praecepta.¹⁾ Ut unum afferam, Gorgiana σχήματα, quae apud posteros quasi signa sophisticæ dictionis solent esse, a Gorgia in libro *περὶ λέξεως* aut in parte *τέχνης ῥητορικῆς* tractata et praecepta esse nullo argumento probatur. Immo vero scripta eius talium plena figurarum discipulos ad imitandum adhortabantur; eoque iure nomine Gorgiæ appellabantur ea σχήματα.

Quae cum ita sint, mirum non est vix ullum rhetoriæ elocutionis praeceptum, quod postea multum valere videmus, ad sophistarum τέχνας referri posse.

Ne de virtutibus quidem dicendi praecepta videntur sophistæ tradidisse. Aristoteles primus certa nos docet. In tertio Rhetoricorum libro (1404b1) elocutionis unam statuit esse virtutem eamque sic definit: Ὁρίσθω λέξεως ἀρετὴ σαφῆ εἶναι· σημεῖον γὰρ ὅτι ὁ λόγος, [ὡς] ἐὰν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον· καὶ μήτε ταπεινὴν μήτε ὑπὲρ τὸ ἀξίωμα, ἀλλὰ πρόπουσαν: Oratio dilucida esto, ita elocutionis virtutem definitio, quia nisi rem aperiet, suum non praestabit officium. Neve humilis neve sit supra dignitatem, sed apta. Quae definitio virtutem in partes dissecare videtur, simplicem tamen eam intellectam voluit Aristoteles.

Semper enim *singulari* numero usus unam λέξεως ἀρετὴν explicavit, nunquam vero ἀρετάς, aut duas aut plures. Cur tamen ad definitionem non uno σαφηνης vocabulo usus sit, sed explicandi causa statim addiderit καὶ μήτε ταπεινὴν μήτε ὑπὲρ τὸ ἀξίωμα, ἀλλὰ πρόπουσαν, adhibita ethicarum virtutum analogia facile intellegitur. Ut de universa virtutis ratione in *Ethicis Nic.* haec dixit: Πητέον οὖν ὅτι πᾶσα ἀρετὴ, οὗ ἂν ἢ ἀρετὴ, αὐτὸ τε εὖ ἔχον ἀποτελεῖ καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ εὖ ἀποδίδωσιν, οἷον ἢ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἀρετὴ τὸν τε ὀφθαλμὸν σπουδαῖον ποιεῖ καὶ τὸ ἔργον αὐτοῦ· τῇ γὰρ τοῦ ὀφθαλμοῦ ἀρετῇ εὖ ὀρῶμεν (p. 1106a 13), ita λέξεως ἀρετὴν perspicuitatem esse demonstrat: σημεῖον γὰρ ὅτι ὁ λόγος, [ὡς] ἐὰν μὴ δηλοῖ, οὐ ποιήσει τὸ ἑαυτοῦ ἔργον (1404b2). Haec est igitur una virtus perspicuitatis. Ethica autem virtus in medio est inter duo vitia, quorum alterum καθ' ὑπερβολὴν, alterum καθ' ἔλλειψιν vituperatur. His extremis partibus respondet in virtute λέξεως, quod μήτε ταπεινὴ esse debeat neque ὑπὲρ τὸ ἀξίωμα, sed, ut altero loco (1414a 26) dicit, δῆλον ὅτι τὸ μέσον ἀρμόττει. Quarendum sane est, cur illud medium appellaverit 'perspicuum', quamquam eadem oratio et perspicua potest esse et tamen propter humilitatem

1) Ut Antiphontis, quae vocantur, tetralogiae.

abesse a medio. Scilicet idem accidit in elocutionis virtute, quod, ut ethicarum virtutum exemplum afferam, in lenitate (*πραότης*) et in ambitione (*φιλοτιμία*) (Eth. Nic. Δ10 et 11). Quia medium, in quo virtus posita est, nomine caret, vulgari quodam nomine philosopho utendum est, quod addita interpretatione ad suum usum accommodare debet. *Ὅν ἐπὶ τὸ αὐτὸ αἰεὶ φέρομεν τὸν φιλότιμον, ἀλλ' ἐπαινοῦντες μὲν ἐπὶ τὸ μᾶλλον ἢ οἱ πολλοί, φέροντες δ' ἐπὶ τὸ μᾶλλον ἢ δεῖ* "Ἔοικε δὲ τοῦτ' εἶναι καὶ περὶ τὰς ἄλλας ἀρετάς. Ἀντικεισθῆναι δ' ἐνταῦθ' οἱ ἄκροι φαίνονται διὰ τὸ μὴ ὀνομάσθαι τὸν μέσον (cf. 1127a11). Si igitur in definienda λέξεως virtute perspicuitatem pluribus verbis explicat, ut medium locum eam obtinere demonstrat, non habemus, cur plures virtutis *partitiones* fieri arbitremur.¹⁾

Ne vero de perspicuitatis ratione dubitemus, nos admonet Aristotelis liber de arte poetica, quo λέξεως ἀρετή eadem ratione describitur (p. 1458a17). „Λέξεως δὲ ἀρετὴ σαφῆ καὶ μὴ ταπεινὴ εἶναι· σαφεστάτη μὲν οὖν ἐστὶν ἢ ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων, ἀλλὰ ταπεινὴ . . . σεμνὴ δὲ καὶ ἐξαλλάττουσα τὸ ἰδιωτικὸν ἢ τοῖς ξενικοῖς κεχρημένη . . . δεῖ ἄρα κερᾶσθαι πῶς τούτοις· τὸ μὲν γὰρ μὴ ἰδιωτικὸν ποιήσει μηδὲ ταπεινόν . . . τὸ δὲ κύριον τὴν σαφήνειαν.“ Una etiam in priore²⁾ libro est elocutionis virtus, talis scilicet perspicuitas, quae humilitatem effugiat. Posteriorius autem opus rhetoricum rem accuratius explicat: quod indefinite dicitur in Poeticis κερᾶσθαι πῶς, in Rhetoricis proprium περὶ πρόποντος caput factum est, nam πρόπον docet, quomodo illa contraria misceri debeant. Cum autem in Poeticis nulla controversia de virtute λέξεως reperiatur, in Rhetoricis unam virtutem contra eos defendit, qui plures eas fecerunt (Rhet. III p. 1414a19): *Τὸ δὲ προσδιακρίσθαι τὴν λέξιν, ὅτι ἠδεῖαν δεῖ καὶ μεγαλοπρεπεῖ, περιέργον . . . τὸ δὲ ἠδεῖαν εἶναι ποιήσει δῆλον ὅτι τὰ εἰρημμένα, εἴπερ ὀρθῶς ὠρίσται ἢ ἀρετὴ τῆς λέξεως. Τίνος γὰρ ἔνεκα δεῖ σαφῆ καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι ἀλλὰ πρόπονσαν; ἂν τε γὰρ ἀδολεσχή, οὐ σαφές, οὐδὲ ἂν σύντομος· ἀλλὰ δῆλον ὅτι τὸ μέσον ἀρμόττει. καὶ τὸ ἠδεῖαν τὰ εἰρημμένα ποιήσει, ἂν εὖ μιχθῆ, τὸ εἰωθὸς καὶ ξενικόν, καὶ ὁ ἑυθμός, καὶ τὸ πιθανὸν ἐκ τοῦ πρόποντος.*

1) Unam ab Aristotele statui virtutem elocutionis recte monuit Hendrickson. A. J. Ph. XXV, p. 133, 2.

2) Ars Poetica prior est tribus libris rhetoricis, qui saepe illam afferunt. Quodsi autem commemoratur Poet. 19 p. 1456a35: *τὰ μὲν οὖν περὶ τὴν διάνοιαν ἐν τοῖς περὶ ἠγορικῆς κείσθω, τοῦτο γὰρ ἴδιον μᾶλλον ἐκείνης τῆς μεθόδου, collata ea ratione, qua ex libris iam antea editis solet aliquid afferre, intelleges rhetorica tum nondum edita fuisse, sed iam consilium libri scribendi esse initum. Hoc per se veri simile est, cum Poetica et Rhetorica alter liber alterum debuerit comitari. Ergo sequitur ut Rhet. 1372a1 non sit delendum (Christ: Gr. Litt. 4. Aufl. p. 500 Anm. 2).*

Hic gravissimus locus non solum de virtutum numero, quot alii rhetores posuerint, nonnulla docet, de quibus postea dicendum est, sed ad Aristotelis ipsius rationem λέξεως tractandae plurimum valet.

Definitio enim ἀρετῆς, quam supra attulimus, initio capitis alterius libri III posita statim sequitur prooemium totius libelli. Hic autem locus de partitione virtutum, ut caput duodecesimum, ita totam, quae est de elocutione, libri partem finit. Inde a capite 13 incipit tractatio τάξεως. Sequitur, ut omnis disputatio περὶ λέξεως virtuti, unde initium capit, qua finem facit, subiciatur. Hoc est fundamentum, quo reliqua capita nituntur. Neque ordo solum disputationis et eorum locorum, quibus virtus nominatim tractatur, sed etiam verba ipsa Aristotelis unam virtutem perspicuitatis comprobant. Contendit enim eas virtutes, quas proprias alii iniuria fecerint, uni suae virtuti iam inesse. Quod ut demonstraret, repetit breviter κατὰ κεφάλαια, quae antea de elocutione disputavit: Τὰ εἰρημμένα . . . ἂν εὖ μιχθῆ, τὸ εἰωθὸς (scil. κύρια ἔπη) καὶ ξενικόν, καὶ ὁ ῥυθμὸς καὶ τὸ πιθανὸν ἐκ τοῦ πρέποντος. Omnia, quae exposuit (τὰ εἰρημμένα), ad virtutum λέξεως assequendam exposita sunt.

Quod epilogus disertis affirmat verbis, singula capita singulis probant argumentis. Ut enim virtus, qualem describit Aristoteles, μὴ ταπεινή esse debet, ita caput 2 ad rationem pertinet, qua κόσμος orationi dari possit: διὸ δεῖ ποιεῖν ξένην τὴν διάλεκτον. Quod quomodo intellectum vellet, postquam explicavit, ad singula praecepta transit. Διπλῆ καὶ πεποιημένα ὀνόματα vitanda sunt. Κυρίοις καὶ οἰκείοις καὶ μεταφοραῖς utendum, ὥστε δῆλον ὡς ἂν εὖ ποιῆ τις. ἔσται τε ξενικόν καὶ λανθάνειν ἐνδέχεται καὶ σαφηνεῖ. αὕτη δ' ἦν ἡ τοῦ ῥητορικοῦ λόγου ἀρετή (1404b35). Omnem de verborum delectu locum virtuti σαφηνείας subici videmus. Caput 3 oppositum est capiti 2. Hoc de vero verborum ornatu, illud de falso dicit, quod appellatur τὸ ψυχρὸν κατὰ τὴν λέξιν. Etiam in hoc capite demonstrat omnia sub specie virtutis unius, qualem initio statuit, tractari (1406a32): Διὸ ποιητικῶς λέγοντες τῇ ἀπρεπείᾳ τὸ γελοῖον καὶ τὸ ψυχρὸν ἐμποιοῦσι (scilicet sunt ὑπὲρ τὸ ἀξίωμα) καὶ τὸ ἀσαφὲς διὰ τὴν ἀδολεσχίαν. ὅταν γὰρ μὴ γινώσκουσι ἐπεμβάλλη, διαλύει τὸ σαφὲς τῷ ἐπισκοτεῖν. Metaphorae autem in capite 4 vituperantur. 1. Διὰ τὸ γελοῖον. 2. διὰ τὸ σεμνὸν ἄγαν καὶ τραγικόν. ἀσαφεῖς δέ, ἂν πόρρωθεν (1406a6). Capite 5 tractatur τὸ ἑλληρίζειν, quod perspicuitati servire apparet. Summatim dicitur p. 1407b11: ὅλως δὲ δεῖ εὐανάγνωστον εἶναι τὸ γεγραμμένον καὶ εὐφραστον.¹⁾ Capite 6 nonnulla enumerat σχήματα, quae ὄγκον efficiunt,

1) Cf. etiam 1407a30: Ἐὰν δὲ πολὺ τὸ μεταξύ γένηται, ἀσαφές.

cuius participem suam *σαφήνειαν* esse voluit (*μη ταπεινήν*). Caput 7 est *περὶ πρόποντος*, quod in ipsa definitione virtutis locum obtinuit.

Etiam ea pars libelli, quae de numerosa oratione agit, etsi maxime rhythmica pertinent ad ornatum, perspicuitati subiungitur (1408b26): *Τὸ δὲ ἄρρυθμον ἀπέραντον, δεῖ δὲ πεπεράνθαι μὲν, μὴ μέτρον δέ· ἀγδὲς γὰρ καὶ ἄγνωστον τὸ ἄπειρον* (cf. etiam 1409a31, 1409b1). Item de figuris compositionis (p. 1410a20): *Ἦδεῖα δ' ἐστὶν ἡ τοιαύτη λέξις, ὅτι τὰναντία γνωριμώτατα καὶ παρ' ἄλληλα μᾶλλον γνώριμα*. In compositione igitur *ἡδονή* semper cum perspicuitate coniuncta apparet. Ornatus enim partem esse compositionem rhythmicam Aristoteles non negat. Sed est voluptas quaedam, quae non propriam faciat dicendi virtutem, immo vero rhetoricae subsit perspicuitati velut pars generi. Quae ratio gravissimo explicatur capite 10, quod ad intellegendam Aristotelis virtutem dicendi inprimis aptum est, quia philosophica ratione ibi eam demonstrare studet. *Τὸ γὰρ μανθάνειν ῥαδίως ἢδὲ φύσει πᾶσιν ἐστὶ*: Facile percipere omnibus natura iucundum est. Nomina autem significant aliquid, ergo iucundissima sunt, quaecunque efficiunt, ut sensum facile¹⁾ percipiamus. Rara nomina non intelleguntur, propria iam omnibus nota sunt et mentem praetereunt; tralationes igitur, cum maxime perceptioni prosint, maximam efficiunt voluptatem.²⁾ Sicut in singulis verbis, ita tota elocutione: *Ἀνάγκη δὴ καὶ λέξις καὶ ἐνθυμήματα ταῦτ' εἶναι ἀστεία, ὅσα ποιεῖ ἡμῖν μάθησιν ταχέϊαν. Διὸ εὐδοκίμει . . . ὅσων ἢ ἅμα λεγομένων ἢ γνώσις γίνεται καὶ εἰ μὴ πρότερον ὑπῆρχεν, ἢ μικρὸν ὑστερίζει. γίνεται γὰρ οἷον μάθησις*. Intellegitur voluptatem non modo non dirimi a perspicuitate, sed psychologicae in ea includi. Quod perspicuum est, *μάθησιν ταχέϊαν* aut, ut priore loco dixit, *ῥαδίαν* praebet. Verba autem nimis usitata parum habent *μαθήσεως*. *Μάθησις ῥαδία* homini natura gratissima est. Ea ratione metaphoras et imagines percenset, quae optima sint et *εὐδοκιμοῦσαι*. Propter *μάθησιν ῥαδίαν* etiam *ἐνάργεια* et probatur (1410b35) et exponitur (1411b21). Postquam deinde Aristoteles elocutionem, quam descripsit, qualis in tribus orationum generibus (*δικανικόν, δημογορικόν, ἐπίδεικτικόν*) esset, explicavit, eo, quem supra attulimus, loco (1414a20) simplicitatem virtutis in exitu totius de elocutione tractatus defendit.

1) ὥστε ὅσα τῶν ὀνομάτων ποιεῖ ἡμῖν μάθησιν, ἥδιστα. Valde desidero attributum apud *μάθησιν*. Omnia nomina *σημαίνει τι*, itaque *omnia* faciunt, ut discamus. Sed *ῥαδίως μανθάνειν ἢδὲ*. Vocabulum excidisse puto, cuius sensum suppeditat 1410b21: *ὅσα τῶν ὀνομάτων ποιεῖ ἡμῖν μάθησιν* [ΠΑΙΧΤΗΝ] ΗΔΙΣΤΑ. Cf. B. Keil: Aristides vol II p. 192, 4 cum adnotatione.

2) Haec Aristotelis ratio rhetorice aucta et in partes discerpta est. Vide Cic. De Or. III 160.

Habes indolem libri, quae nobis ad historiam elocutionis cognoscendam gravissima est. Totius λέξεως fundamentum est doctrina unius virtutis, quae toti praeceptioni subest.

Sed priusquam ab Aristotele discedamus, commemoranda est Mayeri sententia, quam in praefatione fragmentorum de Aristotelis libro III Rh. exposuit, non ignarus, quantum magister ad Theophrastum discipulum intellegendum valeret (Mayer: Prolegg. p. XV sqq.). Decem virtutum seriem collegit, quas Aristotelem tractavisse putat. Hae autem sunt: ἑλληρισμός σαφήνεια συντομία πρόπον πιθανότης πάθος ἠθοποιία ἐπιέργεια ἡδὺ μεγαλοπρεπές. Revera nomina quidem in Aristotelis disputatione inveniuntur omnia, sed nequaquam virtutes sunt elocutionis. Immo vero nonnullae modo non commemorantur velut μεγαλοπρέπεια et πιθανότης. Ἐπιέργεια nusquam ἀρετή vocatur, ἠθοποιία et πάθος partes sunt πρόποντος, quae qua ratione omnia cum perspicuitate coniuncta sint ab Aristotele, ex iis, quae supra diximus, satis intellegitur.¹⁾ Itaque a varia virtutum divisione philosophus nobis defendendus est, ne et ipse falso explicetur et virtutum dicendi historia ab initio et quasi radice falso deducatur.

Sed hoc Mayerum concessisse libenter adnoto Aristotelem „ιδεῖας (nos Aristotelem secuti dicimus ἀρετήν) totius libelli περὶ λέξεως fundamentum posuisse“ (p. XVIII).

Aristoteles philosophus animi humani indole atque natura commotus est, ut unitatem virtutis defenderet. Ex causis enim, quas affert, cognoscitur eum non ad oratorem, qui orationem compositurus est, animum attendisse, sed ad orationis iam compositae vim quidque in animis eorum, qui audiunt, efficeret. In componenda autem oratione fieri solet, ut materia dividatur in partes velut pictor ex diversis coloribus unam effingit imaginem. Eadem ratione dicendi studiosus virtutem elocutionis, etsi in animis eorum, qui perfectam audiunt orationem, una esse debet

1) Ne vero credas Mayerum Aristotelis rationem omnino non perspexisse, ipsius verba tibi affero: „Ante omnia fatendum nobis est Aristotelem non de ‘ideis’ loqui sed de ‘virtutibus’ tantum (ἀρεταὶ λέξεως) neque de virtutibus quidem pluribus, sed — si ipsius verba premere volumus — unam solam ‘λέξεως ἀρετήν’ commemorare. . . . Sed quid omnino interest, utrum dicatur λέξεως ἀρετήν constitui perspicuitate, ornatu, eoque, quod decet, an: λέξεως esse virtutes complures, h. e. τὸ σαφές, τὸν κόσμον, τὸ πρόπον?“ (Mayer. prolegg. XV). Plurimum, opinor, interesse quivis respondebit, qui viderit, quantopere simplicitatem virtutis philosophus studuerit confirmare. Etiam in verbis mutandis Mayerus multo licentius. Ita p. XV iniuria supplevit ‘ἀλλὰ κεκοσμημένην’, atque, cum Aristoteles se ipsum sine illo supplemento repeteret, etiam alterum locum mutavit (p. XVIII). Quae est illa ratio critica? Tria statuit Aristoteles, quorum duo sunt extrema, medium autem est πρόπον. Qui quattuor inde facit, rationem non intellegit. De addito λίαν (p. XVI, 1) cf. infra p. 39.

ad finem (τέλος) orationis accommodata, tamen in perficiendo et quasi fabricando diversas et minores in partes diiungere mavult. Apparet in rhetorum ordine fuisse eum, qui philosopho repugnante virtutem divisit, ὅτι ἡδέϊαν δεῖ καὶ μερολοπρεπῆ. Virtutis simplex forma τὸν θεωρητικὸν sapit, multiformis τὸν πρακτικόν. Nomine vero illum auctorem appellare non audeo.¹⁾

Historia artis dicendi Aristotelis adversarios eos, qui virtutem diviserunt, vicisse docet. Ipse eius discipulus et διάδοχος, qui magistri doctrinam complere quam mutare semper maluit, in virtutibus tamen dicendi illos sequitur. Cuius quattuor virtutes supra exposuimus. Hoc loco satis est commonefacere de Ciceronis testimonio, unde tota nostra disputatio profecta est: „Sermo purus erit et latinus (ἑλληνισμός), dilucide planeque dicetur (σαφήνεια), quid deceat, circumspicietur (πρέπον) . . . quartum . . . ornatum illud, suave et affluens“ (Or. 79).

Quibuscum statim comparemus, quae de Stoicorum partitione elocutionis tradat Laertius Diogenes VII, 59:

Ἄρεται δὲ λόγον εἰσὶ πέντε Ἑλληνισμός, σαφήνεια, συντομία, πρέπον, κατασκευή.

Quae ita explicantur:

Ἑλληνισμός ἐστὶ φράσις ἀδιάπτωτος ἐν τῇ τεχνικῇ καὶ μὴ εἰκαίᾳ συνηθεῖα.

Σαφήνεια ἐστὶ λέξις²⁾ γνωρίμως παριστάσα τὸ νοούμενον.

Συντομία ἐστὶ λέξις αὐτὰ τὰ ἀναγκαῖα περιέχουσα πρὸς δήλωσιν τοῦ πράγματος.³⁾

Πρέπον ἐστὶ λέξις οἰκεία τῷ πράγματι.

Κατασκευή ἐστὶ λέξις ἐκπεφηνγία τὸν ἰδιωτισμόν.

Omnia facile intelleguntur praeter quintum, quid sit κατασκευή. Hanc enim cum idiotismi negatione definitam videant, sunt qui omnino Stoicae elocutionis doctrinae vera ornamenta deesse arbitrentur: „Positive ornament their system does not inculcate at most only avoidance of the vulgar“ (Hendrickson: A. J. Ph. XXVI, 1905 p. 259). Qua in sententia vir doctissimus Hendrickson totum fere de generibus dicendi iudicium suum posuit. Sed etiam Aristoteles reiecta humilitate maluit colligere omnia, quae ad ornatum orationis pertinent, quam ornatu proprie appellato significare, cum in definitione virtutis statueret, ut esset

1) Spengel, Diels Theodectem auctorem putaverunt, Striller (De Stoic. stud. rhet. p. 51) Isocratem. cf. Wendland: Anaximenes v. Lamps. p. 43.

2) Attende ad differentiam inter φράσιν et λέξιν.

3) Cf. Aristotelem de narrationis mediocritate Rhet. III 1416b36: Τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ λέγειν ὅσα δηλώσει τὸ πᾶγμα.

μὴ ταπεινὴ. Ταπεινός autem et ἰδιωτικὸς synonyma sunt. Psychologicæ quoque rationem fugiendi ἰδιωτισμοῦ explicavit 1404b6: μὴ ταπεινὴν ἄλλα κεκοσμημένην (ποιεῖ) τὰλλα ὀνόματα, ὅσα εἴρηται ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς· τὸ γὰρ ἐξαλλάξαι ποιεῖ φαίνεσθαι σεμνοτέρων· ὡσπερ γὰρ πρὸς τοὺς ξένους οἱ ἄνθρωποι καὶ πρὸς τοὺς πολίτας τὸ αὐτὸ πάσχουσι καὶ πρὸς τὴν λέξιν· διὸ δεῖ ποιεῖν ξένην τὴν διάλεκτον (contrarium ἰδιωτικῆ λέξις)· θαυμασταὶ γὰρ τῶν ἀπόντων εἰσίν, ἡδὺν δὲ τὸ θαυμαστόν ἐστίν. Haec igitur causa est, cur effugiat orator τὸν ἰδιωτισμόν. Quod fieri non potest nisi ornamentis; vide, ut exemplum afferam, 1405a9: τὸ ξενικὸν ἔχει μάλιστα ἢ μεταφορὰ (1404b36 etc.). Etiam magis ad Stoicorum definitionem accedunt haec in Poeticis 1458a18: σαφεστάτη (λέξις) . . . ἢ ἐκ τῶν κυρίων ὀνομάτων, ἄλλα ταπεινὴ. Σεμνὴ δὲ καὶ ἐξαλλάττουσα τὸ ἰδιωτικὸν ἢ τοῖς ξενικοῖς κεκοσμημένη. ξενικὸν δὲ λέγω . . . πᾶν τὸ παρὰ τὸ κύριον (cf. 1458a31). Neque aliter intelligendum est, quod dicit Isocrates Paneg. 11: τινὲς ἐπιτιμῶσι τῶν λόγων τοῖς ὑπὲρ τοὺς ἰδιώτας ἔχουσι. Posteriorum rhetorum libri pleni sunt exemplorum, quibus ornamenta significantur e contrario ἰδιωτισμοῦ, ex quibus, ut unum afferam, quo etiam vocis κατασκευὴ usus illustratur, Dionysius Halic. de Lys. c. 3 p. 456R haec exhibet: (Ανοσίας) καὶ σεμνὰ καὶ περιττὰ καὶ μεγάλα φαίνεσθαι τὰ πράγματα ποιεῖ τοῖς κοινοτάτοις χρώμενος ὀνόμασι καὶ ποιητικῆς οὐχ ἀπτόμενος κατασκευῆς. τοῖς δὲ προτέροις οὐχ αὕτη ἡ δόξα ἦν, ἀλλὰ βουλόμενοι κόσμον τινὰ προσεῖναι τοῖς λόγοις, ἐξήλλαττον τὸν ἰδιώτην καὶ κατέφυγον εἰς τὴν ποιητικὴν φράσιν, μεταφοραῖς τε πολλαῖς χρώμενοι καὶ ὑπερβολαῖς καὶ ταῖς ἄλλαις τροπικαῖς ἰδέαις, ὀνομάτων τε γλωττηματικῶν καὶ ξένων χρήσει καὶ τῶν οὐκ εἰωθότων σχηματισμῶν τῇ διαλλαγῇ καὶ τῇ ἄλλῃ καινολογίᾳ καταπληττόμενοι τὸν ἰδιώτην. δηλοῖ δὲ τοῦτο Γοργίας τε ὁ Ἀεοντίνος ἐν πολλοῖς πάνυ φορτικὴν τε καὶ ὑπέρογκον ποιῶν τὴν κατασκευὴν . . . Θουκυδίδης γοῦν . . . ποιητικῆ κατασκευῆ χρῆσάμενος ἐν πολλοῖς ἐξήλλαξε τὴν ἐρμηναίαν εἰς ὄγκον ἅμα καὶ κόσμον λόγων ἀηθέστερον . . . (Ανοσίας) ὁμοίως δὲ τοῖς ἰδιώταις διαλέγεσθαι δοκῶν πλείστον ὅσον ἰδιώτου διαφέρει κτλ. Quid sit in Stoicorum definitione τὸ ἐκφεύγειν τὸν ἰδιωτισμόν¹⁾ neque fieri hoc posse, nisi ornamentorum usu, quam κατασκευὴν nominat, Dionysius docet.²⁾

1) Eadem definiendi ratione 'mutatis mutandis' in simili re utitur Posidonius Laert. Diog. VII, 60: Ποίημα δὲ ἐστὶν λέξις ἑμμετρος ἢ ἐνρhythμος μετὰσκευῆς (κατασκευῆς) Reitzenstein, cf. infra p. 37 adnot. 2) τὸ λογοειδὲς ἐκβεβηκνῆτα.

2) Cf. etiam Dionys. Halic. Περὶ μιμήσεως p. 215 U—R: Γοργίας μὲν τὴν ποιητικὴν ἐρμηναίαν μετήνεγκεν εἰς λόγους πολιτικοῖς, οὐκ ἀξίων ὁμοίον τὸν ῥήτορα τοῖς ἰδιώταις εἶναι. Ανοσίας τοῦναντίον ἐποίησε· τὴν γὰρ φανεράν ἅπασιν καὶ τετριμμένην λέξιν ἐξήλωσεν ἔγγιστα νομίζων εἶναι τοῦ πείσαι τὸν ἰδιώ-

Ex instrumentis autem *κατασκευής*, quae affert, satis elucet, eam omnia ornamenta orationis complecti. Sequitur, ut haec Stoicorum virtus plane consentiat cum quarta Theophrastea. Ornatus virtutem ab iis ex institutione *λέξεως* expulsam esse non debuit contendere vir doctissimus Hendrickson, cum unam Theophrasti partem, *λόγον πρὸς τὰ πράγματα*, ab iis receptam esse diceret (A. J. Ph. XXVI, 255 sqq.). Etsi enim propter *συντομίαν* adeo probatam, ut propriam fecissent virtutem, veri simile est eos caput ornatus minus accurate tractavisse, tamen aliud est virtutem plane extinguere, aliud ei obrectare.¹⁾ Addita igitur tertio loco *συντομίας* virtute quattuor Theophrasti virtutes *λέξεως* Stoici in suam artem converterunt: *ἑλληρισμὸν σαφήνειαν πρόπον κατασκευήν*.²⁾ Itaque quamvis apta fuerit ad Stoicorum philosophiam simplex perspicuitatis virtus, quam docuit Aristoteles, tamen Theophrasti auctoritatem³⁾ in *λέξεως* institutione maiorem fuisse videmus quam ipsius magistri.

Quaerendum nunc est, quomodo differentiae, quas inter diversos de virtutibus auctores intercessisse adhuc vidimus, ex historia explicentur.

την τὸ κοινὸν τῆς ὀνομασίας καὶ ἀφελῆς (cf. etiam Cic. Or. 76 Dionys. de Dem. c. 10 p. 983R). De vocis *κατασκευή* usu apud Dionysium Halic. ceterosque rhetores disputavit Brandstätter, Studien f. Lipsius p. 153 sq., sed Stoicos neglexit et nimis recentem putat esse usum vocabuli.

1) Quae cum ita sint, etiam cetera, quae Hendrickson de trium generum origine et ratione eodem loco disseruit, facere non possum, ut tam vere quam seite disputata putem.

2) Quia non solum recentiores rhetores ornamenta nomine *κατασκευής* complexi sunt, sed etiam Stoici, supra assensi sumus Geigenmüllero, qui idem nomen iam Theophrasti quartae virtuti tribuit. Haud scio an aliud quoque vocabulum Tulliani Oratoris ex Graeco certe fonte detortum ad Graecam vocem *κατασκευή* referendum sit. Ibi enim statim post Theophrasti nomen (Or. 79) et ante partitionem illam ornamentorum, quam propter Dionysii Halic. consensum viri docti Theophrasto reddiderunt, haec leguntur verba (Or. 80): „Verecundus erit usus oratoriae quasi *supellectilis*. supellex est enim quodam modo nostra, quae est in ornamentis, alia rerum, alia verborum.“ Vocem ‘verecundus’ e Theophrasto depromptam esse Cicero tradidit (Ep. ad Fam. XVI, 17 Fragm. X Schmidt, p. 62 Mayer). Verbis autem ‘quasi’ et ‘quodam modo’ Cicero significat se notam quandam vocem Graecam Latine exprimere. Quae fuit haec vox Graeca? Sine dubio a radice *σκευ-* deducenda est. Cum igitur Stoicorum, quorum cum Theophrasto affinitatem cognovimus, usus *κατασκευής* adsit, etiam Latinam vocem ‘supellex’, qua Theophrasti quoddam vocabulum Cicero expressit, ad *κατασκευήν* referemus. Ceterum in Posidonii definitione supra allata (p. 36, adnot. 1) recte mihi videtur Reitzenstein (Varro und Joh. Mauropus, p. 92) coniecisse *κατασκευής* pro *σκευής*.

3) Vetustior Stoa omnino rhetoricam artem Theophrasti imitata est. Has enim partes rhetorice illi posuerunt: Diog. Laert. VII, 43 *εἶναι δ' αὐτῆς τὴν διαίρεσιν εἰς τε τὴν εὐρεσιν καὶ εἰς τὴν φράσιν καὶ εἰς τὴν τάξιν καὶ εἰς τὴν ὑπόκρισιν*. Theophrastus, qui scripsit *περὶ ὑποκρίσεως*, eam partem tribus prioribus addidit. Recentiores Stoici aliter, vide Striller: De Stoicorum stud. rhet. p. 35 sqq.

I. Ἑλληνισμός etiam apud Aristotelem est ἀρχὴ τῆς λέξεως (cap. V). Ex quinque praeceptis, quae congegit, duo (scilicet alterum et tertium) magis ad ἐκλογὴν ὀνομάτων pertinent, primum est de accurata συνδέσμων ratione.¹⁾ Ad grammaticam formam tendit quartum et quintum praeceptum.

Theophrastus et Stoici sine dubio plus operae huic parti tribuerunt. Iam illa aetate οἱ πεπαιδευμένοι magnopere studebant puro sermoni. Quoniam nobis de Theophrasto res est, in mentem venit fabellae cuiusdam a Fabio traditae (Quintil. VIII 1, 2): „Hic non alienum est admonere, ut sint quam minime peregrina et externa; multos enim, quibus loquendi ratio non desit, inuenies, quos curiose potuiss loqui dixeris quam Latine, quomodo et illa Attica anus Theophrastum, hominem alioquin disertissimum, adnotata unius adfectione verbi hospitem dixit, nec alio se id deprehendisse interrogata respondit, quam quod nimium Attice loqueretur“ (cf. Cic. Brut. 172). Haec sane fabula est. Sed fabula quoque demonstratur Theophrastum nomen habuisse propter studium puri sermonis.²⁾ Unde conici potest eam partem λέξεως, quae erat περὶ ἑλληνισμοῦ, accurate esse tractatam, accuratius quam a magistro. Ipsa ars grammatica, cuius praecepta illi virtuti suberant, post Aristotelem magnopere aucta est. Stoici, grammaticae doctrinae studiosissimi, fortasse etiam plura Theophrasto de hac virtute praeceperunt.

Laertius verbis illis, quibus ἑλληνισμὸν secundum Stoicos explicavit, iam discrimen facit inter τεχνικὴν συνήθειαν, consuetudinem eorum, qui arte imbuti sunt, et inter εἰκαίαν συνήθειαν, consuetudinem cotidiani sermonis, nullis regulis coercitam.³⁾ Oratoribus τεχνικὴ συνήθεια necessaria est.

II. Σαφήνεια tanto minorem λέξεως partem occupare poterat apud Theophrastum et Stoicos, quam apud Aristotelem, quo plura inde in novas tres aut quattuor virtutes deducta sunt. Quaecumque ad gram-

1) Hoc praeceptum gravissimum putabatur, ut docet Anaximenis Ars in reliqua elocutione satis exilis I, 211 Sp.¹

2) Cf. similem fabulam de mutato nomine Tyrtami in Theophrastum propter suavitatem loquendi, quam tradunt Strabo, Laert. Diog., Suidas posteriores Graeculi, Romanorum Varro (Wilmanns p. 186), Cicero, Seneca (Nat. Quaest. VI cap. 13), Quintil., Plinius. Utraque fabula Hermippi biographi ingenium sapere videtur, qui scripsit περὶ Θεοφράστου. Recentiores Hermippi scriptis semper fere uti solebant.

3) Quo ex discrimine postea ἀττικισμός ortus est, qui cum artificiosa consuetudine ἑλληνισμοῦ, qualem Theophrastus et Stoici postulant, comparandus est. De Stoicorum puro sermone vide Reitzenstein: Varro und Joh. Mauropus, p. 30, p. 62, de Laertii testimonio de virtutibus Stoicis ibidem Nachträge p. 90.

maticam rationem pertinebant, primae ἔλλητισμοῦ virtutis erant atque cum τὸ ἡδύ, quod ab Aristotele cum perspicuitate psychologicis vinculis (Rhet. III, c. 10) coniunctum esse vidimus, ab eo solutum et in quarta virtute collocatum esset, πρέπον autem suum caput obtineret, non ita multa reliqua erant, quae in perspicuitate tractarentur. Coartatum esse huius virtutis orbem recentioribus quoque testibus ascitis ostenditur.

Stoici vero etiam plura ei detraxerunt, cum *συντομίαν*, de qua Theophrastus sine dubio in perspicuitate dixit, propriam virtutem facerent. Cuiusmodi virtutem Stoicorum ingenio admodum placere apparet. Aristoteles *συντομίαν* solam non modo non virtutem, sed vitium putavit. Nusquam in toto libello *περὶ λέξεως συντομίαν* per se commendat, non magis quam *ὄγκον*. Haec duo contraria sunt: qui *ὄγκον* solum sequitur, *ἀδολεσχεῖ*, qui *συντομίαν*, fit *ἀσαφής*. Capite 6 *ὄγκος* et *συντομία* una tractantur ita, ut altera semper fiat e contrario alterius. Sequitur, ut prorsus cum Aristotelis sententia consentiant haec verba: *ἂν τε γὰρ ἀδολεσχεῖ, οὐ σαφής, οὐδὲ ἂν σύντομος* (1414a25), neque Mayerus sit audiendus, qui 'λίαν' ante 'σύντομος' addidit et contendit Aristotelem *συντομίαν* sine dubio virtutem putasse, quod demonstrari non potest nisi confundendo medio cum brevitate, quasi τὸ μέσον intellegendum sit 'μέτριος συντομία' (cf. Mayer p. XVI Annot. 1). Stoici brevitatē Laertio auctore ita definiverunt, ut virtus haberi posset. Si enim *αὐτὰ τὰ ἀναγκαῖα* adsunt, vituperari nequit *ἀσάφεια*.

Quarta Theophrasti, quinta Stoicorum virtus, cuius omnia ornamenta elocutionis erant, quamque *κατασκευὴν* appellatam esse cognovimus, ab Aristotele in perspicuitate collocata est. Tamen ipse prodit iam sua aetate alios *προσδιαρεῖσθαι τὴν λέξιν, ὅτι ἡδεῖαν δεῖ καὶ μεγαλοπρεπῆ*. Quae verba, qui legit, facile credit *duas* novas Aristotelem commemorare virtutes. Ita interpretes nostrum locum explicare solent. Sed si verba illa ex historia interpretamur et accuratius inquirimus, haud scio an aliter iudicemus.

Theophrastus enim, quin eorum, quos Aristoteles commemorat, sententiam adhibuerit, non dubium est. Is autem non minus quam Stoici universa ornamenta et ea, quae suavem reddant orationem, et quae magnificam, una virtute comprehendit, cuius duas partes, ἡδύ et *μεγαλοπρεπές*, teste Cicerone discernit. Haec duo nomina in recentioribus scriptis rhetoricis promiscue adhibentur, ubi semper una virtus *κατασκευῆς* significatur. Quid? Eos, quibuscum certat Aristoteles, utrum verisimile est duas duobus illis nominibus significasse virtutes, an unam

eandem, quam postea Theophrastus, quam Stoici receperunt? Atque ipsa Aristotelica verba idem probare mihi videntur. Adiungit enim illis, quae attuli, verbis τὸ δὲ προσδιαρῆσθαι τὴν λέξιν, ὅτι ἡδεῖαν καὶ μεγαλοπρεπῆ, περιεργον, brevem refutationem. Neque fugit viros doctos in ea solum ἡδύ commemorari, μεγαλοπρεπές autem plane neglegi. Quin etiam Thurotius, sagax libri interpres, coniectura restituere uno loco (cf. Roemeri apparatus) μεγαλοπρεπῆ (scil. λέξιν) volebat. Quid? si una haec erat διαρῆσις duobus nominibus appellata? Tum demum refutatio Aristotelis recte intellegitur. Si propriam virtutem ἡδύ refellit, etiam μεγαλοπρεπές refellit. Unum enim est, neque voce καὶ in verbis illis 'ὅτι ἡδεῖαν καὶ μεγαλοπρεπῆ' tertia προσδιαρῆσις adiungitur, sed una est inde a verbo προσδιαρῆσθαι, ut apud Ciceronem sine dubio unum est, quod dicit 'ornatum illud, suave et affluens' (Or. 79).

Iam satis singula tractavimus, ut initia dicendi virtutum historice describere possimus.

Una virtus λέξεως ab Aristotele exponitur: σαφήνεια. In arte poetica eam paucis sed apertis verbis docet et in rhetorica, etsi multa addit et psychologiae rationes affert, tamen sententiam eandem de simplicitate virtutis defendit. Haec Aristotelis virtus etiam ornamenta amplectitur. Ita una virtus totam λέξιν sub potestatem suam redigit, aliam autem partitionis rationem Aristoteles non adhibet.

Uni virtuti philosophice explicatae obstabant rhetoris cuiusdam duae virtutes. Omnia, quae ad ornatum sive suavitatis sive magnificentiae causa adhibitum pertinebant, secessionem a perspicuitate fecerunt et propriam condiderunt virtutem. Sic ea elocutionis facta est divisio, ex qua plurimae inter rhetores et gravissimae lites ortae sunt. Semper enim, quotiens de elocutione certatum est, duo castra erant, quorum altera planam et dilucidam orationem defendebant, altera ornatam et magnificam. Primum philosophi, ut eos decebat, perspicuitatem pluris aestimabant, eam Plato defendebat, ea Aristotelis virtus λέξεως facta est. Stoicos etsi ornatum duce Theophrasto quasi necessariam partem oratoriae elocutionis agnoscebant (κατασκευή), tamen σαφήνειαν maxime coluisse scimus. Epicurus, qui omnem ornatum damnavit, nomine magis quam re cum Aristotele consentit Laert. Diog. X, 13: σαφῆς ἦν οὕτως ὡς καὶ ἐν τῷ περὶ ῥητορικῆς ἀξιῶ μὴδὲν ἄλλο ἢ σαφήνειαν ἀπατεῖν. Sed haec Epicuri perspicuitas omni oratoria supellectile carebat et damnata arte naturam solam sequebatur Maxim. Planud. V 440 Walz: φύσις γὰρ ἐστὶν ἡ κατορθοῦσα λόγους, τέχνη δὲ οὐδεμία, cum Aristoteles ornandi causa ξένην ποιῆσαι τὴν διάλεκτον suaderet et artem λέξεως conscriberet. Attici deinde σαφήνειαν Aristotelicam contra appa-

ratum et luxuriam Asianorum defendebant, omni denique aetate utriusque rationis studiosi bella inter se miscebant.¹⁾

Amissa Aristotelis unitate ἀρετῆς usque ad quattuor virtutes processit Theophrastus, Stoici ad quinque, sed plures etiam virtutes in vetustiore arte rhetorica numeratas esse nullo probatur testimonio.²⁾ Posteriores autem ii, qui quattuor virtutes docent (Cicero, Quintilianus, etiam Auctor ad Herennium), sprete Stoicorum brevitate Theophrasti rationem secuti sunt.

Habemus omnes gradus, quibus virtutes auctae sunt: simplicem ἀρετὴν tenemus in Aristotele, de duplici ab eo certiores fimus, quattuor docuit Theophrastus, quintam addiderunt Stoici. Sed neque ante Theophrastum Aristoteles neque post Theophrastum Stoici³⁾ praeter virtutum partitionem ullam ad λέξιν praecipendam admiserunt. Χαρακτήρες cum virtutibus non coniungebantur. Iam hoc loco quaerendum est, utrum Theophrastum cum Aristotele et Stoicis in eodem ordine stare malis credere, an ei et ἀρετὰς et χαρακτήρας λέξεως tribuere.

Aristotelicae et Theophrasteae aetatis rhetores, qui in artis rhetoricae historia eminent, de elocutionis virtutibus aut nihil docuerunt aut quid docuerint, nobis ignotum est. Isocrates τέχνην, quae sub eius nomine ferebatur, non conscripsit. Sed utut est de fide libri — de hac enim re non quaerimus — ea, quae de praeceptis ad elocutionem pertinentibus inde traduntur, ad virtutes dicendi nihil fere valent.⁴⁾ Maximus Planud. nonnulla Isocratea collegit περὶ λέξεως (Fragm. II, 6 ed. Benseler-Blass). Quorum pars pertinet ad Aristotelis caput περὶ ἑλλητισμοῦ (ut συνδέσμων cura), alia ad σύνθεσιν (de hiatu, de rhythmo), alia ad ἐκλογὴν ὀνομάτων (etiam κατὰ ὀνόματα commendantur et μεταφορὰ μὴ σκληρά). Quaedam igitur etiam ad ornatum pertinent, tamen virtutum partitionis nullum invenitur vestigium. Immo Planudes omnia in καθαρότης quasi summo capite collocat: Ἐκ τῆς Ἰσοκράτους τέχνης διδασκόμεθα ποῖα τῶν λέξεων λέγονται καθαραῖ· τοσοῦτον γὰρ πεφρόν-

1) Res dilucide explicatur Quintil. XII 10, 40, cf. inter multos hac de re Norden: Ant. Kunstpr., qui ubicunque eam litem tractat, Radermacher: Rh. Mus. 54, 351 sqq. Hendrickson: A. J. Ph. vol. XXVI 249 sqq.

2) Stoicorum ἀρετὰς λέξεως Mayerus prope neglexit. Commemoravit eas in adnotatione p. 21, sed nihil habuit, quid de iis diceret, nisi: „Complures ideas deesse vides“. Immo vero a Stoicorum numero discere potuit, quid esset de Theophrasti et Aristotelis virtutibus indicandum.

3) Etsi enim Stoicus quidam incerti temporis genera dicendi docuit, quod Radermacherus contendit — ne id quidem mihi probatum est — tamen Laertii auctorem λέξιν in quinque virtutum fundamento posuisse apparet.

4) Docte de Aristotelis cum Isocratis arte affinitate disseruit Wendland: Anax. v. L. p. 35 sqq., ad λέξιν pertinet p. 44.

τικε τῆς καθαρότητος τῶν λέξεων ὁ ἀνὴρ, ὡς καὶ ἐν τῇ οἰκείᾳ τέχνῃ τοιάδε παραγγέλλειν περὶ λέξεως. Videtur a Planude demum caput καθαρότητος praeceptis Isocratis praepositum esse. Quae vox, ut erat usus recens, maxime ad virtutem ἑλλητισμοῦ pertinet. Sed apparet de virtutum apud Isocratem ratione nihil ex illo fragmento posse concludi. Etiam ipsius Isocratis verba, quae περὶ λέξεως orationibus inserta sunt, minus, quam quis exspectabit, ad ornatum pertinent. Atque in Philippi prooemio magis de aliis, quam de se ipso testis est. Postquam enim se aliter atque ceteros oratores dicturum esse promisit, ita pergit (Or. V 4): Καὶ περὶ τούτων οὕτως ἐδόκουν διεξιέναι τοῖς ἀκούουσιν ὥστε μηδένα τὸν λόγον αὐτὸν (sic legendum est. αὐτῶν ed. Benseler-Blass) μηδὲ τὴν λέξιν ἐπαινεῖν ὡς ἀκριβῶς καὶ καθαρῶς ἔχουσιν, ὅπερ εἰώθασι τινες ποιεῖν, ἀλλὰ τὴν ἀλήθειαν τῶν πραγμάτων θανμάζειν κτλ. Etiam hoc loco Aristotelis perspicuitas (ἀκριβῶς καὶ καθαρῶς¹) comparanda est. Similiter Panath. 1: νεώτερος μὲν ὢν προηρούμην γράφειν τῶν λόγων οὐ τοὺς μυθώδεις . . . οὐδ' αὖ τοὺς ἀπλῶς εἰρησθαι δοκοῦντας καὶ μηδεμιᾶς κομψότητος μετέχοντας, οὓς οἱ δεινοὶ περὶ τοὺς ἀγῶνας παραινούσι τοῖς νεωτέροις μελετᾶν. Hic igitur δεινοὶ περὶ τοὺς ἀγῶνας perspicuitatem ab oratione exigebant. Isocrates adulescens ἡδουῆ maiorem partem concessisse videtur Philipp. 27: οὐδὲ γὰρ ταῖς περὶ τὴν λέξιν εὐρυθυμίαις καὶ ποικιλίαις κεκοσμήκαμεν αὐτόν, αἷς αὐτός τε νεώτερος ὢν ἐχρώμην καὶ τοῖς ἄλλοις ὑπέδειξα, δι' ὧν τοὺς λόγους ἡδῖοις ἂν ἕμα καὶ πιστοτέρους ποιοῖεν. ὦν οὐδὲν ἔτι δύναμαι διὰ τὴν ἡλικίαν, ἀλλ' ἀπόχη μοι τοσοῦτον, ἣν αὐτὰς τὰς πράξεις ἀπλῶς δυναθῶ διελθεῖν. Sed Isocrates etsi τὸ ἡδὺ et ipsum se coluisse et alios docuisse fatetur, tamen virtutem λέξεως eam non videtur fecisse. Itaque num omnino virtutes dicendi elocutionis fundamentum fecerit, nescimus. (Quae de elocutione inveniuntur²), cum Aristotelis potissimum perspicuitate comparari possunt.

Similiter res se habet in Anaximene. De elocutione autem hic rhetor satis brevis est. Atque complura eius praecepta cum Aristotele congruere Wendlandius demonstravit (Anax. v. L. p. 44sq.). Non invenitur apud eum nomen ἀρετή, quamquam et ipse quoque σαφήνειαν postulat. Sed finis est καλλίστη λέξις c. 23 (p. 210, 21sq.). ὅπως δὲ καλλίστην ποιήσεις τὴν ἐρμηνείαν νῦν δηλώσομεν (c. 24). Πρῶτον

1) Quibus de vocabulis vide Geigenmüller: Quaestiones Dionysianae de vocabulis artis criticae. Diss. Lips. 1908, p. 13 et 14. Sed ἀκρίβεια ab Isocrate magis ad ornatum, quam ad ἑλλητισμόν proprie dictum videtur adhibitum esse cf. Panegy. 11.

2) Locos concessit Sheehan: De fide artis rhetoric. Isocrati attributae, Bonn. Diss. 1901 p. 80sqq.

μὲν οὖν εἰς δύο ἐρμηνεύειν, εἶτα σαφῶς δεῖ λέγειν. Prima pars ab Aristotele et virtutum doctrina plane aliena est. Altera etsi congruit et nomine et praeceptis quibusdam, tamen aliud est *σαφήνειαν* inter multa varia praecepta postulare, aliud eam sub *virtutis* nomine fundamentum ponere totius elocutionis. Gorgianas figuras (*ἀντίθετα, παρισώσεις ὁμοιότητος*) Anaximenes neque prima neque altera sua elocutionis parte, sed appendix instar tractavit (c. 26 *περὶ δὲ ἀντιθέτων κτλ. . . λέγωμεν ἤδη. δεησόμεθα γὰρ καὶ τούτων*). Quae cum ita sint, neque Isocrates neque Anaximenes in historia virtutum elocutionis locum obtinent. *Αἰ ἀρεταὶ λέξεως* a philosophis, non a rhetoribus et inventae et institutae sunt (Aristoteles, Theophrastus, Stoici). Sed *λέξεως* virtutes inventae videntur esse et instructae ad exemplum *ἀρετῶν διηγήσεως*, quae propius nos ad rhetores quam ad philosophos ducent. Ad eas iam transeamus.

CAPUT IV.

DE NARRATIONIS VIRTUTIBUS.

Omnium orationis partium narratio proxime accedit ad ipsam, quae in eloquendo valet, vim atque rationem. Et prooemio et epilogo et omnibus argumentandi partibus finis est propositus, qui dictioni certas leges imperet; narratio nihil agit, nisi ut rem ignotam dicendo exponat. Itaque inter praecepta, quae narrationem instituunt, plura quam in reliquis partibus orationis ad ipsam elocutionem pertinent.

Aristoteles quidem narrationis qualitates omnes, de quibus dicit, ex rebus deducit. Ut ne brevis aut celeris (contra Isocrateos) sit *διήγησις*, sed *μετρίως* (Rhet. III 1416 b 30). *Ὅσα ἡδέα τοῖς δικασταῖς* (1417 a 7) narrare licet, sed haec voluptas aperte ad res, quae narrantur, non ad suavitatem *λέξεως* pertinet. Neque quod *ἡθικὴν τὴν διήγησιν εἶναι* (1417 a 16) iubet, neque quod dicit: *ἔτι ἐκ τῶν παθητικῶν λέγει* (1417 a 36), cum ethica et pathetica dictione, quam capite III 7 descripsit, consentit. Ibi de personarum verbis, hic de personis ipsis et rebus loquitur. Atque ut ethica et pathetica *λέξεις* partes sunt *τοῦ πρέποντος ἐν τῇ λέξει*, quo efficitur *τὸ πιθανόν*, sic in narratione quoque finis est, ad quem omnia tendunt Aristotelis praecepta, *probabilitas*.¹⁾ Atque hic finis tota libri indole dignus est.

Aristoteles contra eos disputat, qui *ταχίαν* aut *σύντομον* volunt esse *διήγησιν*. Quintilianus loco doctrinae pleno et qui isti fuerint, do-

1) Cf. Marx: Ber. Sächs. Akad. LII, 321, Wendland: Anax. v. L. p. 41.

cet, et plura etiam de narrationis historia tradit IV 2, 31: „Eam (scil. narrationem) plerique scriptores maximeque qui sunt ab Isocrate volunt esse lucidam, brevem, veri similem. neque enim refert, an pro lucida perspicuam, pro veri simili probabilem credibilemve dicamus. Eadem nobis placet divisio, quamquam et Aristoteles ab Isocrate parte in una dissenserit, praeceptum brevitatis inridens, tamquam necesse sit longam esse aut brevem expositionem, nec liceat ire per medium¹⁾, Theodori quoque solam relinquunt ultimam partem, quia nec breviter utique nec dilucide²⁾ semper sit utile exponere“.

Tria igitur sunt, quae Isocratei volunt habere narrationem: probabilitas, perspicuitas, brevitatis. Atque haec ex *διηγήσεως* natura explicari possunt. Qui iudicibus rem, quae in controversia est, exponit, hoc certe spectat, ut iis persuadeat (*πιθανότης*). Hic est finis expositionis, quem subesse Aristotelis *περὶ διηγήσεως* disputationi vidimus. Ad eum maxime accedunt Theodori. Sed ne duae quidem partes ab Isocrateis additae a narrandi ratione alienae sunt. Nisi enim dilucide narrabimus, quomodo finem persuadendi assequemur? Neque ulla fere pars magis pellicit ad res extraneas inserendas (episodia) quam *διήγησις*, qua de causa, ut quam brevissime exponamus, monere licet. Sed narrationis *σύντομία*, narrationis *σαφήνεια*, narrationis *πιθανότης* alia est, quam elocutionis. Ut narratio est rerum expositio, sic ad res illae virtutes spectare debent. Aristoteles verborum non facit mentionem in narratione tractanda. Ceteri autem, quo sunt vetustiores, eo magis *res* subiciunt illis narrandi rationibus. Originem igitur eae quamvis similiter appellatae ex diversis radicibus traxisse mea quidem sententia apparet; quod satis multum valet ad historiam recte intellegendam.

Vetustissimus testis eius, quam ad Isocratem Quintilianus refert, sententiae nobis adest Anaximenes, qui cap. 30 de narratione dicit: *δεῖ τούτων ἕκαστον ποιεῖν βραχέως καὶ σαφῶς καὶ μὴ ἀπίστως* (I 219, 5 Sp.). In uno genere, quod omnium gravissimum est, *μὴ ἀπίστως διηγεῖσθαι* etiam Anaximenes satis habet de rebus commonere (Rh. Gr. I 219, 20 sqq. Sp.).

1) Hanc Aristotelis sententiam, quam supra exposuimus, cum ad Isocrateam accommodari vellent, erant qui vocabulorum differentiam ita statuerent, ut *σύντομον* eam nominarent, quae omnia necessaria (*ἀντὰ τὰ ἀναγκαῖα*) haberet narratio, *βραχέϊαν* autem, cui aliquid deesset. Quibus vocabulis si utimur, Aristoteles contra *βραχέϊαν* disputat, Isocratis autem *σύντομος διήγησις* etiam ex eius sententia probari potest. Cf. Quint. IV 2, 42: „Ideoque Graecorum aliqui aliud circumcisam expositionem, id est *σύντομον*, aliud brevem putaverunt, quod illa supervacuis careret, haec posset aliquid ex necessariis desiderare. nos autem brevitatem in hoc ponimus, non ut minus, sed ne plus dicatur, quam oporteat.“ Similem verborum differentiam *Περὶ Ὑψ.* cap. 42, 1 Trypho III, 202. Sp.

2) Contra eos igitur Quintil. IV 2, 65.

Reliqua dividuntur in *πράγματα* et *ὀνόματα*. Sed *συντομία* sine praeceptis absolvitur: *συντόμως* δέ, ἐὰν ἀπὸ τῶν πραγμάτων καὶ τῶν ὀνομάτων περιαιρῶμεν τὰ μὴ ἀναγκαῖα ῥηθῆναι ταῦτα μόνα καταλείποντες, ὧν ἀφαιρεθέντων ἀσαφῆς ἔσται ὁ λόγος. Brevitas igitur ad perspicuitatem defertur. In ea sola commemorantur singula praecepta: ἀπὸ δὲ τῶν ὀνομάτων (scil. σαφῶς ἐροῦμεν), ἐὰν ὅτι μάλιστα τοῖς οἰκείοις τῶν πραγμάτων ὀνόμασι τὰς πράξεις προσαγορευόμεν (οἰκεία hoc loco κύρια ἔπη sunt, non ut persaepe πρόποντα) καὶ ἐὰν τοῖς κοινοῖς, καὶ μὴ ὑπερβατῶς αὐτὰ τιθῶμεν, ἀλλ' αἰετὰ ἐχόμενα ἐξῆς τάττωμεν. Haec ratio intellegitur, si conferimus, quae in parte elocutionis dixerit. Neque τὸ πιθανόν neque τὸ σύντομον apud Anaximenem λέξεως qualitas statuitur. Praeter illud εἰς δύο ἐξηγηθεῖν solum τὸ σαφῶς λέγειν apparet. Atque summatim in narratione repetit, quae illic exposuit. Cap. 25: πρῶτον μὲν οὖν ὀνόμαζε τοῖς οἰκείοις ὀνόμασι . . . σκοπεῖ δὲ καὶ τὴν σύνθεσιν τῶν ὀνομάτων, ὅπως μῆτε συγκεχυμένη μὴθ' ὑπερβατὴ ἔσται· τὰ γὰρ οὕτω λεγόμενα δύσγνωστα συμβαίνει.

Apparet, quae ratio intercedat. Cum in elocutione, quomodo aperte dicatur, explicatum sit, narratio autem, ut aperta sit, postuletur, repetuntur ea, quae ad λέξιν pertinent. Quae initio res tantum complectebatur διηγήσεως σαφήνεια, bipertita est in *πράγματα* et *ὀνόματα*.¹⁾ *Συντομία* autem, quae ab Anaximene in elocutione omittitur, etiam in narratione, etsi commemorantur ὀνόματα, praeceptis ad verba pertinentibus caret; magis etiam πιθανότης, quae solas ad res spectat.

Magni momenti est Anaximenem ut in elocutione, sic in narratione nomen ἀρετῆς evitare. Eadem ratione Fabius, ubi Isocrateorum sententiam affert, hoc nomen, quo alioqui utitur, noluit adhibere; cum autem idem Isocrates neque λέξεως ἀρετήν aut ἀρετὰς instituisse videatur, conicere licet eum quoque nomine ἀρετῆς in narratione ut in elocutione se abstinuisse.

Coniunctio inter elocutionem et narrationem maior quam apud Isocratem et Anaximenem facta est in Theodectea arte. „Non enim magnificam modo vult esse (Theodectes) sed etiam iucundam expositionem“ (Quintil. IV 2, 63). Iam Quintilianus vidit, quod Theodecti obiecit, ex elocutionis finibus eas qualitates desumptas esse neque narrationi uni esse proprias, sed omni orationi et omnibus eius partibus.²⁾ Theo-

1) In ea ratione τεχνῶν ῥητορικῶν, quae omnem artem in partibus orationis (μέρη τοῦ λόγου) collocavit neque λέξεως proprium caput tractavit, facile fiebat, ut praecepta loquendi in partes orationis insererentur.

2) Quintil. IV 2, 63: „Illa quoque ut narrationi apta, ita ceteris quoque partibus communis est virtus, quam Theodectes huic uni proprie dedit: non enim

dectes τὸ ἡδὺ καὶ τὸ μεγαλοπρεπές in narratione voluit esse, alii, quorum nomina silentio premit Quintilianus, „tribus narrandi virtutibus adiciunt magnificentiam, quam μεγαλοπρέπειαν vocant.“ Inter eos et Theodectem haec ratio intercedit, quod hic nomen virtutis evitasse videtur (magnificam vult esse narrationem cf. Anaxim. δεῖ εἶναι) et τὸ ἡδὺ etiam postulavit, illi ἀρετὴν μεγαλοπρεπείας in narratione collocaverunt. Reminiscamur autem ἡδὺ et μεγαλοπρεπές apud Theophrastum unam esse virtutem et utrumque ab Aristotelis adversariis unam προσδιαίρεσιν praeter perspicuitatem factam esse (cf. supra p. 39sq.). Iam cognoscemus unum hoc etiam apud Theodectem fuisse eumque quattuor exegisse a narratione: σαφές, σύντομον, πιθανόν, ἡδὺ καὶ μεγαλοπρεπές.¹⁾ Sequitur ut ab iis, qui quartam virtutem μεγαλοπρεπείας in narratione statuerunt, Theodectes non ita multum differat. Illi enim quin quarta Theophrasti virtute adducti sint, non dubito, atque nomen μεγαλοπρεπείας ita accipiendum esse puto, ut omnem quartam virtutem (ornatum illud suave et affluens Cic. Or. 79) comprehendat.

Idem Theodectes, qui ornamenta dicendi in narrationis praecepta recepit, tamen τέλος διηγήσεως verum et iustum servavit: Fragm. 3 (Or. Att.) ἔργον ῥήτορος, ὡς φησιν Θεοδέκτης, προοιμιάσασθαι πρὸς εὐνοίαν, διηγήσασθαι πρὸς πιθανότητα κτλ. Fieri sane potuit, ut finis persuadendi cum ornamentis, quae pelliciendo ad persuadendum valent, coniungatur atque cum papyrus quaedam Theodectae artis plena in narrationis praeceptis et πιθανότητα et μεγαλοπρεπές καὶ ἡδὺ una tractaverit (Oxyrh. Pap. edd. Grenfell-Hunt vol. III, No. 410), testimoniis diversis de Theodecte non diffidendum esse puto. Sed iterum moneo vocabulum ἀρετῶν ab eo in narratione nondum esse adhibitum.²⁾

Iam pridem viri docti viderunt Quintiliani de narratione disputationem conferendam esse cum Anonymo περὶ ῥητορικῆς, qui a Seguerio editore nomen accepit. Neque dubium est, quin maxime inter se consentiant, quem consensum cum Theodorus ultimus sit, qui in hac parte ab utroque laudetur, C. v. Morawski veri similiter explicavit, cum Caecilium Calactitam communem Quintiliani et Anonymi fontem putaret.³⁾

magnificam modo vult etc.“ Haec refutatio secuta est Theodorum cf. Anonym. Seg. 103 p. 370 Sp.-H.

1) Quintilianus, qui Theodectis ipsum opus non adhibuit, ἡδὺ et μεγαλοπρεπές duas partes facit, idque propter suam dispositionem, ut primum refellat μεγαλοπρεπές, deinde incundum in narratione.

2) Haec non solum nominis, sed etiam ipsius rationis definiendi analogia ex ethica philosophiae parte petita ab Aristotele videtur profecta, a Theophrasto esse pervulgata. In elocutione antea vigeat, quam ad narrationem delata est.

3) Quaestiones Quintilian. p. 39, cf. Angermann: De Aristotele rhetorum auctore Diss. Lips. 1904 p. 47.

Tria igitur illa, quae Isocratei a narratione postulant, etiam Anonymus docet, non secus atque Quintilianus in sua ipsius praeceptione voce *ἀρετῶν* ea appellat p. 365, 6 Sp.-H.: *ἐπειδὴ δὲ τῆς διηγήσεως τὰς ἀρετὰς φάμεν τὴν τε συντομίαν καὶ τὴν σαφήνειαν καὶ τὴν πιθανότητα, καιρὸς ἂν εἶη λέγειν περὶ ἐκάστης.* Tres deinceps virtutes describit divisione semper facta inter *ὀνόματα* et *πράγματα*. Etiam *πιθανότης*, praecipua et maxime propria narrandi virtus, quae apud Anaximenem verborum capite caret, *λεπτικόν* iam complectitur *τόπον*. Nullo post eas tres spatio intermisso statim pergit explicare, quomodo *ἡδεΐα* et *μεγαλοπρεπῆς* narratio fiat, res sane mira, quoniam ipse initio non nisi tres virtutes accepit. Eandem sententiam infra repetit (p. 370): *καὶ διηγήσεων μὲν ἀρεταὶ αὐταὶ τε καὶ τοσαῦται· εἰσὶ δὲ οἱ πρὸς ταύταις ταῖς τρισὶ (ipse autem praeter eas etiam de sequentibus dixit) καὶ μεγαλοπρέπειαν καὶ αὔξησιν καὶ ἡδονὴν καὶ προσήκειαν ἧτοι ἐπιείκειαν ἀρετὰς ἔφασαν διηγήσεως· περὶ μὲν οὖν ἡδονῆς καὶ μεγαλοπρεπειᾶς ἔφθημεν εἰπόντες κτλ.*

Multo rectius Quintilianus. Tres, quas numerat virtutes, tractat, tum demum de magnifico, iucundo aliisque virtutibus adversarios refellendi causa admonet. Cum autem Quintilianus Theodectem eum auctorem nominet, qui *μεγαλοπρεπῆς* et *ἡδύ* addiderit, ad Theodectem aliis intercedentibus (Caecilio) ea, quae de magnifico et iucundo Anonymus praecipit, — sunt autem satis exilia — referre possumus.¹⁾

1) Optime Quintilianum, Theodectem in Papyro Oxyrh., Anonymum Seg. inter se comparat Mayerus: Prolegg. p. XXXVII sqq. cap. VIII. Theodectis praecepta latere constat. Illud mihi dubium est, quod Mayerus totam partem de virtutibus narrationis, quin etiam totum fere librum Theodectis excerptum putat. Ipse enim Anonymus non magis Theodectem inspexit quam Quintilianus. Ambo nituntur alio auctore, quem Caecilium fuisse veri simile est. Quomodo ergo Caecilium? Utrum Quintiliani rationem exhibuit, an Anonymi turbatum ordinem? Si enim Anonymi instar erat, sibi ipse contradixit, cum tres numeraret virtutes, quinque postea praeciperet. Caecilio eiusmodi crimen tribuere nolo, neque in Caecilii ingenium simplicitatis studiosum quadrat sententia eum praeter illas *ισχνότητος* virtutes magnificentiam et voluptatem in narrationem recepisse. Quintilianus autem, eiusdem fontis testis, *ratione ac via* virtutes exponit. Multo facilius crediderim iam Caecilium refutasse eos, qui plures quam tres facerent virtutes, usum Theodori rationibus (cf. Anonym. 103, I p. 370 Sp.-H.). Etiam Theodecti illum obstatisse eiusque magnificum et iucundum in refutatione commemorasse, quod inde in seriem virtutum ut continua fieret, ab Anonymo receptum sit. Noluit enim postea de iis, quae alii statuerunt, virtutibus proprie dicere: *περὶ μὲν οὖν ἡδονῆς καὶ μεγαλοπρεπειᾶς ἔφθημεν εἰπόντες, αὔξησιν δὲ καὶ ἐπιείκειαν τί ἐστι, πολλαχοῦ ἀκηκόαμεν.* Quin ipse sibi contradicat, non dubium est. Apparet autem periculosum esse duobus auctoribus, qui ipsi tres se accipere virtutes profitentur et Theodectem reiiciunt, Theodectis artem fontem tribuere. Immo vero illi Isocratei, quos singulos non nominat Quintilianus, hanc partem artis constituerunt; eorum doctrinam etiam Anonymus et Quintil. mediis fontibus interce-

Principatum obtinuerunt tres virtutes narrandi, ab Isocrateis constitutae. Sed Theodectae rationis nonnumquam vestigia apparent. Cum enim Fabius ceteras virtutes multis auctoribus relinqueret, iucundum (ἡδύ) soli Theodecti tribuit (IV 2, 63). Ubi cumque igitur ἡδύ inter narrationis virtutes ducitur, nos iure de Theodecte cogitabimus, non quo eum ipsum semper fontem esse illius, qui τὸ ἡδύ exhibet, putemus, sed auctoritatem eius cognoscemus, cum praeter usitatas *τεχνογράφου* tres virtutes narrandi etiam τὸ ἡδύ — a philosophis opinor — traditum esse videamus.

Atque primum quidem Cicero ut praecepta scholastica, quae ei perridicula videbantur (De Or. II, 77), aliquantum corrigeret, ad Theodectis doctrinam redibat. *Τεχνογράφους* affert (II, 80): „Deinde rem narrare ita (iubent), ut veri similis narratio sit, ut aperta, ut brevis“ neque eos plane improbat (II, 83): „Iam vero narrationem, quod iubent verisimilem esse et apertam et brevem, recte nos admonent, quod haec narrationis magis putant esse propria, quam totius orationis, valde mihi videntur errare.“ Etsi igitur non vituperat tria illa, tamen brevitatem aliter interpretari studet (II, 326) quam isti Graeculi (sic II, 77). Ita enim sit brevis oratio, ut iucunda (ἡδεῖα) esse non desinat. „Saepe obest vel maxime in narrando (brevitas), non solum quod obscuritatem adfert, sed etiam quod eam virtutem, quae narrationis est maxima, ut iucunda et ad persuadendum accommodata sit, tollit.“ Eam sententiam deinde exemplis comprobat.

Idem ἡδύ invenitur in Partitionibus Or. 31: „Quid in narratione quae tandem conservanda sunt? . . . ea sunt in ea servanda maxime, quae *etiam in reliquis* fere dicendi *partibus*; quae partim sunt necessaria, partim adsumpta ad ornandum. Nam ut *dilucide probabiliterque* narremus, necessarium est. Sed adsumemus etiam suavitatem.“ *Συννομία* autem hoc in libro *σαφηνεῖα* subiungitur. Atque de differentia inter necessarias et adsumptas virtutes facta infra dicemus: hic satis est commonere in Partitionibus, quas *διαίρέσεις ῥητορικός* ex philosophorum fontibus fluxisse scimus, suavitatem inter narrandi virtutes numerari.

Suavitatis in narratione vestigium etiam Dionysius Halic. servavit, qui de Lysiae arte narrandi haec dicit (de Lys. cap. 18 p. 492 R): *οἶμαι δὲ καὶ τὰς τέχνας τῶν λόγων, ἐν αἷς εἰρηταί <τι> περὶ διηγήσεως ἀξιόλογον, οὐκ ἐξ ἄλλων τινῶν μᾶλλον ἢ τῶν ὑπὸ Λυσίου γραφεισῶν εἰλη-*

dentibus exhibent. At Theodectes quoque Isocrates. Concedo, sed in narrationis virtutibus proprium fecit iter, quod ut perpauci videntur secuti esse, sic nemo eorum omni ex parte, quorum scripta nos tenemus. Vestigia tantum remanent.

φέναι τὰ παραγγέλματα καὶ τὰς ἀφορμὰς. καὶ γὰρ τὸ σύντομον μάλιστα αὐτὰ ἔχουσιν αἱ διηγήσεις καὶ τὸ σαφές, ἡδεῖαι τέ εἰσιν ὡς οὐχ ἔτεροι, καὶ πιθανά.

Haec fere sunt, quae iucundi vestigia nobis conservantur. Quae si cum magna copia eorum testium, qui tres solas virtutes a Fabio Isocrateis datas comparabis, ea levissima esse et fortuito magis quam consulto in praeceptionem invasisse cognosces. Neve oblitus sis veram Theodectis rationem, cuius et ἡδύ et μεγαλοπρεπές praeter tres usitatas proprium erat, nusquam inveniri ne apud Anonymum quidem Seguerianum.

Etiam minoris momenti videtur fuisse alia partitio ab usitata doctrina aliena, quae Fabio propter auctoris magnum nomen dubitationem iniecit, eam dico, cuius testis est Tullius in Topicis, ubi postulat: „ut planae sint (narrationes), ut breves, ut evidentes, ut credibiles, ut moratae, ut cum dignitate. quae quamquam in tota oratione esse debent, magis tamen sunt propria narrandi“ (Topic. 97 cf. Quintil. IV 2, 64). Haec sane est differentia, sed in numero magis quam in rebus. Nam duo extrema ad πρόπον pertinent, „cum dignitate“ (κατὰ τὸ ἀξίωμα) aequae ac morata narratio (ἡθικὴ cf. Arist. Rhet. III 1408a25), ambo autem in narratione πιθανότητι subiciuntur, cf. Anonym. Seguer. Rh. Gr. I² p. 367 Sp. H. Nec minus evidentia (ἐνάργεια) ab Anonymo πιθανότητι (credibilitali) datur, a Quintiliano vero perspicuitati. Quae cum ita sint, distribue distribuenda: habebis tria illa: perspicuitatem cum evidentia, breviter, probabilitatem cum moribus et cum dignitate.

In historia artis rhetoricae quamquam nostra vel maxime interest proprietates et differentias examinare, tamen in nostra quaestione eae tam sunt raras, ut nihil obstet, quominus vulgarem doctrinam technicis libris et enchiridiis communem unam esse credamus eam, quae tres virtutes narrandi praeceperit. Ipse ille Dionysius, qui in Lysiae iudicio ἡδύ attulit, in Demosthene (c. 34 p. 1062R) de technographis dicit: καὶ τῆς σαφηνείας καὶ τῆς συντομίας καὶ τοῦ πιθανοῦ χωρὶον ἀποφαίνουσιν οἱ τεχνογράφοι τὴν διήγησιν οὐχ ὡς¹⁾ ἀλλαχοῦ οὐδαμοῦ δεῖον ἐξετάζεσθαι τὰς ἀρετὰς ταύτας... ἀλλ' ὡς ἐν τῇ διηγήσει δεῖον μάλιστα. Tullius quoque vulgarem rationem in tribus virtutibus ponit (De Or. II 80), eamque accipit in Oratore 122: „Rem breviter exponere

1) ὡς οὐκ ἀλλαχοῦ libri, negationem transposui. <οὐχ> ὡς οὐκ Reiske. Sed negatio post ὡς debilitat ἀντίθεσιν (ὡς ἀλλαχοῦ οὐδαμοῦ ~ ὡς ἐν τῇ διηγήσει). Praeterea si esset negatio post ὡς, propter δεῖον expectarem μὴ et μηδαμοῦ. Sic autem omnis compositio negatur et οὐδαμοῦ arte cohaeret cum ἀλλαχοῦ.

et *probabiliter et aperte*." Eandem sententiam ex communi fonte¹⁾ depromunt Cicero adulescens (de Inv. I, 28) et Auctor ad Herennium (I, 14). Accedunt praeter Quintilianum IV 2, 31 sqq.²⁾ Fortunatianus II, 18 (p. 111 Halm): „Narratio omnis qualis esse debet? brevis, ut libentius audiatur, manifesta ut intellegatur, veri similis, ut probetur“ et recentiorum turba cf. Sulp. Vict. p. 322 H, Iulium Sev. p. 357 H, Iulium Vict. p. 424 H etc., Graecorum, ut utar exemplo, Rufum, Vol. I² p. 402 Sp. H.

Maioris momenti est, quod etiam Progymnasmatici assentiuntur. Qui cum *διηγήματος προγύμμασμα* docerent, usi sunt artium *περι διηγήσεως* praeceptis. Theon. II p. 79, 20 Sp.: *ἀρεταὶ δὲ διηγήσεως τρεῖς: σαφήνεια, συντομία, πιθανότης*. Probabilitas autem praevalet ibid. 79, 29: *δεῖ γὰρ ἔχεισθαι αἰεὶ τοῦ πιθανοῦ ἐν τῇ διηγήσει· τοῦτο γὰρ αὐτῆς μάλιστα ἴδιον ὑπάρχει* (cf. Cic. De Or. II 326). Tanta iam auctoritate tres virtutes narrationis utebantur, ut etiam ad *ἐκφρασίω* transferrentur. Sic enim intellegendus est Theon. II 119, 27: *ἀρεταὶ δὲ ἐκφράσεως αἴδε· (I) σαφήνεια μὲν μάλιστα καὶ ἐνάργεια³⁾ τοῦ σχεδὸν ὀραῖσθαι τὰ ἀπαγγελλόμενα, ἔπειτα τὸ μὴ τελέως ἀπομηνύειν περὶ τὰ ἄχρηστα (II συντομία), τὸ δὲ ὅλον συνεξομοιοῦσθαι χρὴ τοῖς ὑποκειμένοις τὴν ἀπαγγελίαν (III πρέπον, quod respondet πιθανότητι)*. De Aphthonii simili sententia (II 22, 10 Sp.) infra audies (p. 53).

Atque haec quidem de historia narrandi virtutum.⁴⁾ Ad nostram autem quaestionem plurimum refert, quaenam ratio inter narrandi virtutes et virtutes elocutionis intercedat.

Anaximenes similitudine utriusque partis nondum perfecta tria in narratione, sed in elocutione solam perspicuitatem exigebat. Huic uni igitur in narratione eloquendi praecepta tribuit. Neque vero accurate ea exposuit, sed tam *κεφαλαιωδῶς* enumeravit, ut de notis rebus alibi explicatis commonefacere videretur, non docere.

Cum Theophrastus quattuor virtutes elocutionis constitueret, similitudo apud eum maior erat. Quae enim in narratione ad *πιθανότητα* pertinebant, in elocutione respondebant *πρέποντι*.

1) Hic fons hoc sane loco non est *Latinus* doctor (Thiele: Hermagoras) sed *Graecus*. Etsi enim praecepta mirum in modum consentiunt, tamen nomina ita differunt, ut sua quisque ratione *Graeca* nomina convertisse videatur.

2) Cf. etiam Quint. II 5, 7: „Narrandi lux (*σαφής*), brevitās, fides“ (*πιθανότης*).

3) Ut Quintilianus evidenter perspicuitati subiecit IV 2, 64.

4) Vide etiam, quos locos collegerit Geigenmüller utilissimo libello, qui inscribitur *Quaestiones Dionysianae de vocabulis artis criticae* (Lips. 1908) p. 115. Sed idem minus caute composuit has narrandi virtutes cum virtutibus eloquendi. p. 23, p. 27 passim. Cf. etiam Causeret: *Étude sur la langue rhétorique dans Cicéron* p. 108. Peters: *De rationibus inter artem rhetoricam quarti et primi saeculi intercedentibus* Diss. Kiel 1907, p. 56 sqq.

Brevitate a Stoicis inter λέξεως ἀρετὰς recepta factum est, ut omnes tres narrationis virtutes haberent, quibus in elocutione responderent. Ut autem eam brevitate virtutis λέξεως loco apud posteros raro invenimus, ita narrandi brevitati etiam dicendi praecepta deesse solent.

Quintilianus, quippe qui omnem locum de narrandi virtutibus magis in rebus collocet, in probabilitate quidem breviter verba perstringit (IV 2, 58). Aliter in perspicuitate, quia illius aetatis oratores ei propter inflatum genus dicendi maxime obtrecebant. In ea igitur Quintilianus nihil fere nisi de verborum perspicuitate praecipit, quin etiam ad pronuntiationem venit.¹⁾ Contrarium est in brevitate narrandi. Συντομία neque est apud eum virtus λέξεως, neque in narratione praecepta ad λέξιν pertinentia comprehendit. Perpauca in exemplo Sallustianae brevitate (IV 2, 45) huc referri possunt.

Eandem ubique invenimus rationem: Si in narrationis virtutibus elocutio affertur, ita afferri solet, ut praecepta in altera parte artis exposita breviter commemorentur admonendi, non docendi causa.

Sic etiam instructus erat communis fons Auctoris ad Herennium et Tullii adolescentuli in Rhetoricis. Auctor anonymus brevitate causa recidit, quae ei ad elocutionem pertinentia superflua videbantur in narratione. Cicero illa quidem exhibet, sed vide quam exilia. In brevitate vestigium tantum reperitur de Inv. I, 28: „Non minus rerum non necessariorum quam *verborum* multitudine supersedendum est.“ Hoc nihil est, meminisse autem oportet Auctorem ad Her. in elocutione, quae Ciceronis manco operi deest, non habere *συντομίας ἀρετήν*. Paulo plura in perspicuitate de Inv. I, 29: „Ac verbis quoque dilucidis utendum est, quo de genere dicendum est in praeceptis elocutionis.“ In probabili vero narratione ne tale quidem vestigium remanet. Similis ratio est in Ciceronis libro De Or. II 326 sqq. Ad verba non nisi haec pertinent: „Erit autem perspicua narratio, si verbis usitatis . . . narrabitur“ (II 329). Partitiones Oratoriae virtutes narrandi postponunt elocutioni, itaque filium ad ea, quae supra dicta sunt, pater revocat (Part. Or. 32).

Λεκτικοῦ τόπον etiam in narrationis capite maxime ratio erat habenda iis scriptoribus, qui nullam partem propriam *περὶ λέξεως* exhibebant. Quo factum est, ut auctores *προγυμνασμάτων* et Anonymus Seguerianus, a quo partes orationis (*μέρη τοῦ λόγου*) tractantur, plura de elocutione offerant. Ita de verbis Theo in omnibus tribus virtuti-

1) Itaque Fabius magis de communi usu, quam de sua ipsius ratione testis est, cum dicit in elocutionis perspicuitate (VIII 2, 22): „Nam *rerum* perspicuitas, quomodo praestanda sit, diximus in praeceptis narrationis.“

bus *διηγήσεως* dicit, neque satis habet facta verba et longe tralata et aliena perspicuitatis causa reicere, sed etiam unumquodque genus definiendo explicat et exemplis illustrat, quod ad *λέξεως* partem pertinet. Deinde in brevitatis virtute, quoniam eadem fere genera verborum adhibentur, paulo brevius disputat, sed non praeterit elocutionis praecepta. Atque nos eius virtutis praecepta ad *dicendum* parata non habemus nisi apud Theonem et Anonymum Seguerianum¹⁾, quae, cum historiam *συντομίας λέξεως* consideraverimus, ad Stoicos inventores intellegemus referenda esse. Nam Stoici primi docuerunt *συντομίαν* esse *λέξεως ἀρετήν*.

Omnes rhetores, qui elocutionis praecepta in narrationis virtutes traxerunt, concedunt alteram partem artis alterius in fines incursare veluti Dionysius H. de Demosth. c. 34 p. 1062R, Theodorus apud Anonym. Seg. 103 (I², 370 Sp.-H.), Cicero de Inv. I 29, Part. Orat. 31, De Or. II 83²⁾, Quintil. IV 2, 62. Mixtae autem hae sunt partes, cum duae rationes dividendae artis rhetoricae confunderentur. Notum est priscam fuisse eam rationem, quae in orationis partes (*μέρη τοῦ λόγου*) omnem artem distribuebat. In iis iam artibus exponebatur, quid *διήγησις* habere deberet ipso quidem nomine *virtutum*, ut videtur, nondum nuncupato. Deinde autem in tres partes omnis ars divisa est: *εὐρεσιν τάξιν λέξιν*, quibus brevi post accessit *ὑπόκρισις*, postremo *μνήμη*. In nova *τάξεως* parte antiqua *μέρη τοῦ λόγου* collocabantur multis quidem praeceptis privata, quae in novas partes inventionis et elocutionis disponenda erant. Fieri iam poterat, ut idem caput duobus locis exponeretur, velut Aristoteles, ut exemplum afferam, *πίστεις* et in inventione et in *τάξεως* parte sub argumentationis capite tractavit. Ita certi fines, quibus *διηγήσεως ἀρεταί* in *τάξεως* parte explicatae dirimerentur ab elocutionis virtutibus, non observabantur nisi ab iis auctoribus, apud quos ipsae virtutes dissimiles erant, ut Aristoteles *σαφήνειαν* in elocutione, in narratione *πιθανότητα* docet, ut Anaximenes tria quidem narrandi praecepta usitata exhibet, sed elocutionis perspicuitate contentus est. Quanta vero post Theophrastum et Stoicos fuerit utriusque partis affinitas, demonstratur hac tabula:

1) Cicero, qui in Part. Orat. *συντομίαν* docet *λέξεως* esse virtutem, tamen praecepta nulla fere affert (Part. Or. 19).

2) Adnotandum est hunc locum cum Tulli ipsius ratione non plane consentire. In narrationis enim capite (II 329) explicat, cur perspicuitas *proprie* in *narratione* tractetur, et argumentis eam dispositionem defendit.

Virtutes

narrandi:

dicendi:

a) in rebus	$\left\{ \begin{array}{l} \text{σαφήνεια} \\ \text{συντομία} \end{array} \right.$	$\left\{ \begin{array}{l} \text{ἔλληρισμός} \\ \text{σαφήνεια} \\ \text{(συντομία Stoici)} \\ \text{πρόπον} \\ \text{μεγαλοπρέπεια} \\ \text{(καὶ τὸ ἡδύ)} \end{array} \right.$	$\left. \begin{array}{l} \text{λέξεως} \\ \text{(in verbis)} \end{array} \right\}$
b) in verbis			

Videmus, quantula sit differentia, neque mirum est extitisse eos, qui hanc quoque tollere studuerint. Quamquam plane ineptum erat, narrationi etiam virtutem ἔλληρισμοῦ tribuere, quae prorsus est elocutionis et in omni parte orationis aequabiliter conservanda, tamen aequandi studio commotus hoc fecit Aphthonius Rh. Gr. II, 22 Sp.: Ἄρεται δὲ διηγήματος τέσσαρες· σαφήνεια, συντομία, πιθανότης καὶ ὁ τῶν ὀνομάτων ἔλληρισμός.

Omnem denique historiam virtutum narrandi Nicolaus breviter colligit Rh. Gr. III, 457 Sp.: Ἄρεται διηγήσεως κατὰ μὲν τινὰς πέντε· συντομία, σαφήνεια, πιθανότης, ἡδονή, μεγαλοπρέπεια (ut nostra tabula), καθ' ἑτέρους δὲ μόνη πιθανότης. τὰς γὰρ ἄλλας τέσσαρας κοινὰς παντὸς λόγον ἐνόμισαν (Theodorus). ὡς δὲ τοῖς ἀκριβεστέροις δοκεῖ, τρεῖς εἰσι μόναι· σαφήνεια, συντομία καὶ πιθανότης (Isocratei).

Atque haec quidem de virtutibus narrationis. Perspecta et affinitate et differentia neque dubium est, quin ad intellegendas λέξεως ἀρετὰς utiles sint¹⁾, neque latet, quatenus iure adhibeantur. Primum quidem de natura virtutum certiores facti eos non audibimus, qui ideas pro virtutibus substituant (Schmid, Nassal, cf. p. 7, p. 27). Deinde eorum improbatum sententia, qui plures λέξεως virtutes numerent (Schmid l. c. Mayer: prolegg. p. XV, frgm. p. 17). Ut enim ea ipsa re auctoritas, qua Theophrasti utebantur ἀρεται λέξεως, demonstratur, quod inepte et contra indolem διηγήσεως ad tres Isocrateorum virtutes narrationis μεγαλοπρέπεια et ἔλληρισμός addita sunt, ita aliam virtutem nullam invenimus. Ad singula denique praecepta virtutum λέξεως comparandae sunt virtutes διηγήσεως. Sed haec semper observata est a probis auctoribus differentia, quod narrandi virtutes in rebus versantur, de verbis fortuito magis atque summatim et ita praecipitur, ut ad elocutionem

1) Nimis caute distinxisse mihi videtur Wendlandius: Anaximenes v. L. p. 43, quamquam de Theodectis arte, de qua ille dicit, ne ego quidem ex comparatis narrandi et dicendi virtutibus aliquid certi affirmare audeo.

redeat praeceptio. Qui igitur ad elocutionis doctrinam restituendam utitur virtutibus narrandi, caveat necesse est, ne illa ad *res* pertinentia etiam in elocutionis partem, a qua plane aliena sunt, traiciat.¹⁾

CAPUT V.

DE VIRTUTUM DICENDI APUD ROMANOS RATIONE.

Ducentorum fere annorum spatium intermittamus et in recentioris aetatis scripta rhetorica Latinis litteris mandata accuratius inquiramus, quam nobis virtutum rationem ostendant. Atque primus quidem dignus est, qui audiatur, M. Tullius Cicero. Quem nos iam in altero nostrae disputationis capite ad testimonium de virtutibus elocutionis dicendum advocavimus, quia is non solum de sua ipsius ratione virtutum sed etiam de Theophrasti nos facit certiores. Itaque singula in hoc capite nolo repetere, totam argumentandi rationem ut breviter comprehendam: Tulliano Oratore probatur Theophrastum quattuor virtutes illas praecepisse, tertio De Or. libro ostenditur omnem institutionem *λέξεως* sub virtutum quattuor capitibus tractari et absolvi. Ut in singulis praeceptis Cicero recentiorum studiorum rationem habuit, ita in tota partitione elocutionis Theophrastum Peripateticum secutus est. Quae cum ita sint, facile intellegitur eos magnopere errare, qui Ciceroni diffidunt, Dionysio aliisque rhetoribus maiorem volunt fidem habere. Hugo Rabe in dissertatione de Theophrasti libris *περὶ λέξεως* Dionysium anteposuit, multo acerbius de Cicerone iudicium etiam novissimus libri *περὶ λέξεως* editor Mayerus tulit: eius disponendi rationem prorsus nullam esse, veram Theophrasti doctrinam eum non perspexisse, ordinem libri De Or. III inde explicari, quod Cicero satis infelicem in modum Theophrasti quartum caput cum reliquis tribus contaminaret, unum insuper caput Theophrasteum, quod esset de tribus dicendi generibus, sub vitiosa libri Tulliani dispositione paene latere, dispersis ex locis id esse restituendum (Mayer: Prolegg. p. XI sqq.). Confiteor me non sine lacrimis Tullium nostrum in Procrustis lectulo damno vidisse distentum et laceratum. Neque vero fugit Mayerum totam elocutionis materiem apud Ciceronem secundum quattuor dicendi virtutes esse divisam, non fugit eum *χαρακτῆρας λέξεως* ab hoc ordine esse alienos. Quos quod nihilominus a Cicerone tractatos esse studuit demonstrare, hoc resistentibus

1) Qua in re ubique peccavit Mayerus, sed etiam Geigenmüller, alii.

iis, quos collegit, locis factum est. Caput enim Theophrasteum de tribus dicendi characteribus Mayerus his in partibus sibi videtur invenisse:

a) §§ 25—36, sed in variis generibus historice percensendis consulto illa *tria* genera prae multifaria divisione Cicero neglexit.

b) §§ 96—103, ubi eodem modo res se habet. Haec igitur invito Tullio ad *tria* genera delata sunt.

c) §§ 199—200. Commemorantur quidem illa *tria* genera, sed ita, ut notam quandam et usitatam elocutionis partitionem Cicero in memoriam revocet, nihil vero separatim de generibus praecipiat. Accedit, quod inde a § 199 nova incipit pars, quam ex novo fonte haustam esse veri simile est. Colorem enim et habitum totius orationis, de quo agit 199, Cicero iam antea (96 sqq.) pleniore ratione explicavit. Atque priore loco dispositionem integram servavit, altero autem ornatum proprie dictum et *σχήματα* distraxit. Quodsi Mayerus etiam § 200 ad genera refert, non intellego, quoniam aperte ad figuras (*σχήματα*) Cicero transiit. Quid denique de §§ 210—212 putandum sit, in virtute *πρέποντος* (cap. II) exposuimus. Ipse editor fragmentorum in eadem pagina (prolegg. p. XII) confitetur non genera sed decori virtutem ibi tractari.

Virtutes autem dicendi, si Mayo fidem habemus, Cicero non exposuit nisi magna perturbatione commissa. Revera eum putat haec *tria* capita enarrasse: I *περὶ τριῶν λόγων χαρακτήρων*, II *περὶ ἐκλογῆς ὀνομάτων*, III *περὶ συνθέσεως ὀνομάτων*. At tantum abest, ut Cicero virtutibus dicendi et tribus illis a Mayo enumeratis capitibus eandem vim et simile in arte praecipienda officium tribuat, ut omnia, quae de elocutione et de ipsis illis capitibus praecipit, subiciat quattuor virtutibus dicendi. Itaque quartum caput de virtutibus, aut ut Mayeri vocabulo utar, *περὶ ἰδεῶν*, illis tribus nullo modo addere potuit, nisi omnem suam rationem evertisset. Tractatio virtutum non modo non deest, sed etiam omnem complet librum.

Omnia conamina, quibus Tulli libri De Or. III ratio *λέξεως* alienis partibus permiscetur aut alio, quam Cicero voluit, sensu explicatur, acriter reicienda mihi videntur esse. Quo vehementius Mayerus, ut suam de Theophrastei libri indole sententiam tueri posset, librum De Oratore vituperare debuit, eo magis equidem haereo et insisto in duplici Ciceronis testimonio, alterum dico Oratoris, quo virtutum a Theophrasto constitutarum numerum et rationem breviter enumerat, alterum totius tertii De Oratore libri, quo easdem virtutes demonstrat fundamenta esse elocutionis, qualem inventores huius partis, quos saepius Peripateticos appellavit, instruxerint. Omnem meam disputationem Ciceronis fidei

addico; is artem suam λέξεως Theophrastei aedificii instar construxit, quod nunc quoniam miserabili fato corruit, ex illo, quantum fieri potest, restituendum esse censeo. 'At in magna librorum copia saepe Ciceroni diffidendum esse didicimus.' Concedo neque tantopere ei confiderem, nisi omnes, quos nos adhuc tenemus, auctores, qui λέξις, tertiam dico artis rhetoricae partem, technice exposuerunt, ad vadimonium convenirent, non quo eundem semper numerum adhibeant, sed quia rationem et indolem virtutum — quod gravius est numero — earumque officium in elocutione instituenda comprobant. Sed priusquam pergamus, eorum testium reminiscamur, quos iam audivimus. Hi autem sunt:

Aristoteles: Una virtus ex pluribus partibus composita.

Theophrastus: Quattuor virtutes (Cic. Or. 79).

Stoici: Quinque virtutes (Laert. Diog. VII 59).

Cicero De Or. III: Quattuor virtutes.

Qui omnes tria genera dicendi a virtutibus procul habent.

Reliqui Ciceronis libri rhetorici vera praeceptione λέξεως carent. 'Rhetorica' non pervenerunt ad hoc caput artis, de Bruti historicis iudiciis, de Partitionibus Oratoriis, de propria indole Oratoris suo loco dicemus. Iam transeamus ad *Quintilianum*.

Quintiliani Institutiones Oratoriae ab indole librorum De Oratore maxime alienae sunt. In his Crassus amicis, qui viri praeclarissimi idemque oratores non imperiti sunt, fundamenta doctrinae proponit, singula ipse iterum atque saepius fatetur praecepta se percurrere magis quam explicare. Ille autem dicendi magister discipulis artis studiosis omnia in encyclopaediam oratoriam colligere studet, quaecumque ad artem discendam iis usui esse possunt. Singulorum praeceptorum copia libros suos adeo amplificavit, ut κεφάλαια artis late distineantur et eorum, qui legunt, animi facile in singulis haereant, fundamenta obliviscantur. Eo magis nos debemus attendere ad ipsam artis describendae rationem et ordinem, neque fugiet quemquam, qui attente leget, eandem λέξεως descriptionem apud Fabium inveniri, quam invenimus in Ciceronis libro De Or. III, quam Theophrasti esse ex Oratore cognovimus.

Plus tres libros Quintilianus elocutioni concessit, octavum, nonum, decimum, undecimi initium. Ipsum audiamus hanc artis partem in capita summatim distribuentem VIII 1, 1: „(Elocutio) spectatur verbis aut singulis aut coniunctis. in singulis intuendum est, ut sint Latina, perspicua, ornata, ad id, quod efficere volumus, accommodata: in coniunctis, ut emendata, ut (apte addid. Christ, quod non est necessarium) collocata,

ut figurata.“ Atque primum quidem virtutes quattuor¹⁾ nobis iam satis notas deprehendimus: *ἑλληνισμόν, σαφές, κατασκευήν, πρέπον*. Alius, inquires, hic ordo videtur atque ille Tullianus. Certe quidem, si ea verba sola sequimur. Nam duae dividuntur provinciae: singula verba et coniuncta. Quattuor illae virtutes ad unam singulorum verborum partem pertinent. Coniuncta habent propria sua capita, cum apud Ciceronem compositio verborum virtutibus subiciatur. Sed si omnem disputationem percensemus, eadem ratio in Quintiliano observatur, quae est apud Tullium; nam dispositionem, quam praemisit, ipse minime sequitur.²⁾ Quintiliani temporibus compositio ad artem dicendi tantum valebat tantaque praeceptorum copia instructa erat, ut multo maiorem, quam etiam apud Ciceronem, locum in artibus obtineret.³⁾ Qua de causa in praefatione quidem *λέξεως* Fabius ei proprium locum concessit. Sed progrediente disputatione ad Ciceronis rationem redit et omnem virtutum doctrinam ita explicat, ut tam singulorum verborum quam coniunctorum ratio habeatur.

Quamquam enim antea dixit coniuncta primum deberi emendata (Geigenmüller l. c. p. 20) esse, ipse Latinitati ea subiungit. Ut vitia statuebantur *βαρβαρισμός* in singulis verbis, *σολοικισμός* in coniunctis, sic Quintilianus eam orationem, quae *σύνταξιν* servabat, proprio nomine emendatam dixit, virtutem autem unam esse voluit et una egit de ratione Latine et emendate loquendi (VIII 1, 1). In perspicuitatis et ornatus virtute una se comprehendere coniuncta et singula verba ipse tam aperte affirmat, ut totam viam disputationis prosequi non opus sit,

1) Ad nostram certe disputationem ea pars operis Fabiani pertinet, quae est *περὶ λέξεως*. Sed adnotandum est in capite I 5, quod est de arte grammatica, aliam inveniri virtutum partitionem, qua *πρέπον* subicitur *κατασκευή*. Haec enim leguntur (I 5, 1): „Cum omnis oratio tres habeat virtutes, ut emendata, ut dilucida, ut ornata sit (quia dicere apte, quod est praecipuum, plerique ornatui subiciunt).“ Apparet igitur auctorem eum, quem in grammaticis Fabius sequitur, tres numerasse virtutes elocutionis atque nos infra videbimus Auctorem Herennianum simili ratione ornamenta et perpauca, quae ad *πρέπον* pertinent, in eam, quam dignitatem appellavit, partem collegisse. Sed in elocutionis parte Quintilianus quattuor virtutes numeravit, in primo quoque libro veritus, nequis *πρέπον* desideraret, eius virtutis sedem ostendit. De libro primo disputavit B. Heinicke: De Quintiliani Sexti Asclepiadis arte grammatica. Diss. Argent. 1904, de virtutibus p. 34 sqq. Sed de Theophrasto non recte iudicavit p. 36, 1.

2) Ita saepius Fabius initio maioris partis, ut lectori conspectum facilem suppeditet, rem in plura capita dissecat, quam adhibet in sequenti disputatione.

3) Cf. IX 4, 1: „De compositione non equidem post M. Tullium scribere auderem, cui nescio an nulla pars operis huius sit magis elaborata, nisi et eiusdem aetatis homines scriptis ad ipsum etiam litteris reprehendere id collocandi genus ausi fuissent (Brutus et Attici), et post eum plures multa ad eandem rem pertinentia memoriae tradidissent.“

modo haec legas VIII 2, 22: „Nobis prima sit virtus perspicuitatis, propria verba, rectus ordo, non in longum dilata conclusio, nihil neque desit neque superfluat.“ Quorum extrema verba ad coniunctionem pertinere apparet.¹⁾ Maxime autem VIII 3, 15: „Et quoniam orationis tam ornatus quam perspicuitas aut in singulis verbis est aut in pluribus positus, quid separata, quid iuncta exigant, consideremus.“

Ornatu singulorum verborum descripto VIII 3, 16—39 inde a § 40 ad rationem sermonis coniuncti transit. Haec amplior est quam *σύνθεσις* proprie dicta, cum omnes tropos et figuras comprehendat. Sequitur *σύνθεσις* ipsa, quae ex membris, incis, periodis componitur. Etsi pluribus verbis explicatam et copia praeceptorum magnopere auctam eodem tamen loco compositionem tractavit atque Cicero in libro III De Or., sub virtute ornatus.

Restat, ut de libro X dicamus. Quintilianus affirmavit ornatum oratoris propriam esse provinciam, qua omnis eius laus niteretur (VIII 3, 1). Magnam deinde copiam praeceptorum exposuit, ex quibus ornata fieret oratio. Ea igitur ad *τέχνην* pertinent. Sed ut erat Fabius magister et quasi paedagogus, etiam *ἄσκησιν* docere voluit, sine qua nihil prosunt praecepta. Quae assidue exercitando tam facilem usum habere debent, ut occasione data ultro se offerant dicenti. Etiam progymnastici hanc facultatem docere studebant et omnia fere libri decimi capita etiam in illorum scriptis inveniuntur.²⁾ Quintilianus sane uberius, quia non discipulis solum sed viris etiam dicendi studiosis³⁾ suos libros scripsit. Nemo enim orator, ne summus quidem, exercitatione perpetua egere potest (X 7, 8 et 24).

Fit eiusmodi exercitatio primum quidem legendo (*ἀνάγνωσις*), quod per varia litterarum genere Fabius persequitur (X, 1). Legimus autem, ut imitemur. Itaque *περὶ μιμήσεως* agit (X, 2). Altera *ἀσκήσεως* ratio est in scribendo, quem stilum appellat (X, 3). Postquam scripserimus aliquid, emendandum nobis hoc est (X, 4). Genera autem exercitationis scribendi (*μετάφρασιν* praecipue et *θέσεις*) docet capite 5. Nec solum oculis legere, scribere stilo utile est, sed etiam ipsa mentis cogitatio facultatem alit dicendi (X, 6). Exercitandi finis est posse ex tempore

1) Eadem ratione vitium, quod virtuti perspicuitatis opponitur, scilicet obscuritas, explicatur in verbis singulis (VIII 2, 12), deinde dicit: „Plus tamen est obscuritatis in *contextu* et *continuatione* sermonis“ (2, 14).

2) Conferendus igitur hic liber etiam cum iis, quae Cicero exposuit De Or. I, 149 sqq. („nunc de ipsa *exercitatione*, quid sentias, quaerimus“).

3) Cf. X 1, 4: „Igitur eum, qui res invenire et disponere sciet, verba quoque et eligendi et conlocandi rationem perceperit, instruamus, qua ratione, quod dixerit, facere quam optime, quam facillime possit.“

dicere, quod Graeci vocant *ἀποσχεδιάζειν* (X, 7). Iam ex iis, quae summatim attulimus, elucet, quid liber X sibi velit. Nihil est nisi praeceptorum ornandi, quae duobus libris antecedentibus insunt, appendix¹⁾, quam ex vernaculo usu paedagogicam licet appellare, quoniam *τέχνης* rationi adiungit viam *ἀσκήσεως*. In ipsum librum IX recipi non poterat, quia ille iustum iam excessit spatium.²⁾ Sed ad praecedentia sola pertinet neque cohaeret cum libri undecimi initio. Immo vero libentius ad memoriam statim transisset Fabius X 7, 33: „Sed de memoria destinatus est libro proximo locus nec huic parti subiungendus, quia sunt alia prius nobis dicenda.“ Quae sunt illa ‘alia’? Una ex quattuor virtutibus reliqua erat, scilicet decorum (*πρέπον*), cuius praecepta initio undecimi libri explicantur, neque ad memoriam transire poterat, priusquam elocutio tota ad finem perduceretur. Prooemio igitur libri undecimi ‘aptum’ ad ornatum adiungitur (XI 1, 2), qua disponendi ratione librum decimum *παρένθεσιν* esse probatur. Omnis autem elocutionis praeceptio quattuor virtutibus subiecta est.

Tenemus Quintiliani rationem. Initio easdem quattuor virtutes iecit velut fundamenta disputationis, egit deinde VIII 1 *περὶ ἑλληνισμοῦ* (de Latinitate). Sequitur perspicuitas (VIII 2) cum vitio ei opposito obscuritatis. Tum ad ornatum transit (cap. 3 sqq.), quae virtus illa iam aetate omnem fere institutionem *λέξεως* arriperat reliquarum virtutum provincia satis deminuta. Haec autem capita ornatum efficiunt:

Pars A: I Delectus verborum ~ *ἐκλογή ὀνομάτων* VIII 3, 15 ad 40.

II Continuae orationis ornatus

- a) *προαίρεσις* 40—41.
- b) de vitiis 42—60.
- c) ornatus definitio 61.
- d) *ἐνάργεια* cum brevitate (82) 61—82.
- e) *ἔμφασις* (cf. IX 2, 64) et alii quidam modi breviter pertractati 83—90.
- f) *ἀὔξεισις* et *μείωσις* cap. 4.
- g) de sentiis ~ *περὶ γνώμης* cap. 5.
- h) de tropis cap. 6,
quo in capite etiam translata collocantur,

1) Nobis sane hic liber propter primi capitis iudicia historica gravissimus est. Sed talis aestimatio temporum intervallo nititur, Quintiliano eiusque aetati octavus et nonus liber multo pluris erant decimo.

2) IX 4, 146: „Nam finem imponere egresso destinatum modum volumini festino“ cf. *ibid.* 138.

i) de figuris IX, 1—3.

k) de compositione ornata ~ *περὶ συνθέσεως* IX 4, 1—130.

Pars B:

De variando ornatu IX 4, 131—147.

Appendix: Liber X De exercenda elocutionis facultate.

Atque haec quidem ad ornatum pertinent. Apte dicendi virtus (*πρέπον*) sequitur undecimi libri initio. Quibus rebus absolutis elocutio, tertia artis rhetoricae pars, ad finem perducta est. Adiungitur memoria, deinde pronuntiatio. Videsne elocutionis doctrinam incipere a virtutibus dicendi, cum virtutibus desinere? An falso contendimus a Tulliana ad tertium De Or. librum adhibita ratione *λέξεως* Fabium non differre?

Per Ciceronis igitur librum De Or. Fabius ad Theophrastum redit. Sed ipsius Peripatetici philosophi libros non versavit. Plurimis locis etiam in parte *περὶ λέξεως* confitetur se Ciceronis auctoritate niti.¹⁾ Sui iuris non est putandus eiusque testimonium clientis est pro patrono. Tamen etiam ad Theophrasti doctrinam probandam consensus ille aliquid valere arbitror. Si Ciceronis ratio elocutionis ab ipso aut esset confecta aut ab aliis auctoribus quamquam adsumpta, tamen mutata et in deteriorem partem esset detorta, ut nonnulli volunt, homo in scriptis rhetoricis tritissimus neque doctrinae modo plenus sed etiam iudicio prudens, ut erat Fabius, propriam Tullii viam nulla differentia adnotata non esset secutus. Immo vero Quintilianum qui legit, eum, quamvis verecunde Tulli memoriam colat, tamen ubi hic a communi arte et usitatis praeceptis longe distat, controversiam afferre animadvertit.

Ita igitur res se habet, ut Quintilianus Tullium ducem secutus sit ad eorum institutionem *λέξεως*, qui 'inventores sunt harum sane minutarum rerum'. Propterea Stoicorum quintam virtutem *συντομίας* praeferiit, *πρέπον* autem cum Tullio suo quartam virtutem numeravit (XI 1, 1), quam Theophrastus quo loco posuerit, cognitis Aristotele Stoicisque iam tempus est demonstrare.

Si enim Tulliani Oratoris testimonio²⁾ confidimus, Theophrastus quartam virtutem numeravit ornatum, Cicero De Or. illum tertio loco posuit, in quartum recessit *πρέπον* (aptum), quod Theophrastus teste Oratore tertio loco habuit.

Adeo haec Tulliana *πρέποντος* positio probata quibusdam est, ut

1) Ne longus sim, vide indicem Meisteri editioni adiectum.

2) Cic. Or. 79 cf. supra cap. II p. 9 sqq. (p. 12 et 16).

sola iis vera videretur.¹⁾ Itaque Theophrastum nullo loco nisi post ornatum de hac virtute potuisse dicere contendunt. Oratoris apertum testimonium aut interpretatione aut coniectura obscurare student obliterati eam *πρόποντος* formam, quam nos invenimus, inde a Theophrasti aetate mutatam esse.

Aristoteles quidem decorum partem fecit unius suae virtutis *σαφήνειας*, cui etiam ornatum dicendi subiunxit. Ea, quam nos habemus, libelli III forma etsi non caret ordine, tamen accuratam rerum distributionem non praebet. *Πρόπον* in media de ornatu disputatione locum occupat. Postquam de metaphoris dixit et *ἑλληνισμὸν* atque *ὄγκον λέξεως* exposuit, ad *πρόπον* transit. Sequuntur autem capita de numerosa oratione et de probatis ornamentis, quae ad ornatum pertinent. *Πρόπον* igitur ab ornatu nondum separatum est, in fine tamen ornatus ne apud Aristotelem quidem ponitur. Post Aristotelem *λέξιν* tractavit Theophrastus, quem quaerimus. Deinde Stoici. Eorum ordinem Laert. Diog. (VII, 59) aperte describit: *ἀρεταὶ δὲ λόγον εἰσὶ πέντε: Ἑλληνισμὸς, σαφήνεια, σύντομία, πρόπον, κατασκευή*. Eundem ordinem accurate observat Laertius in definitionibus enumerationi additis. Cum autem *κατασκευή* Stoicorum idem sit atque Theophrasti ornatus, ii quidem *πρόπον* ornatui praemiserunt et, si brevitatem neglegimus, quam a perspicuitate diremtam suo loco inseruerunt, prorsus eandem seriem numerant, quam Tullius Theophrasto tribuit. Media denique Academia, si Partitionibus Oratoriis credere licet (Partit. Or. 139), hunc ordinem virtutum constituit: dilucidum (*σαφές*) breve (*σύντομον*) probabile (*πιθανόν ~ πρόπον*) illustre (*μεγαλοπρεπές*) suave (*ἡδύ*) (Partit. Or. 19, cf. infra p. 67 sqq.). Itaque vetustioris *τέχνης* si rationem habemus, testimonio Oratoris de Theophrasti numero *πρόποντος* verbo tenus fidem habere debemus. Ne hoc quidem concedo *πρόπον* in recentioribus artibus non nisi post ornatum locum habere. Quintilianus quamquam Tullianum in libro De Or. ordinem imitatur et *πρόπον* postponit²⁾, tamen ipse antequam de ornatu dicat, nonnulla praemittit, quae sine dubio 'aptum' explicant VIII 3, 11—14 (Cic. De Or. III, 210). Quod cum a suo ordine abhorreat, in extremis verbis se revocat: „Sed ad propositum.“³⁾ Similiter Cicero ante

1) Vide, ut afferam exemplum, E. Kremer: Über das rhetorische System des Dionys v. Halicarnass, Straßburg 1907, p. 45. H. Rabe: De Theophrasti libris *περὶ λέξεως* p. 43.

2) Cum in reliquis virtutibus sine testimonio allato seriem constitueret, in solo decoro ei opus esset numerandi auctoritate, mihi satis videtur confiteri se diversum etiam a Tulliano ordine locum *πρόποντος* novisse.

3) Idem accidit in vitiis tractandis VIII 3, 42. Probabilitas enim et *πρόπον* coniungenda sunt.

ornatum breviter cohortatur, ut satietas aurium vitetur (De Or. III, 97 ad 103). Qua de causa modus semper servari debet. Pertinet autem haec de recto modo pars ad caput *πρέποντος* (Cic. Or. 73). In Oratore ante generum descriptionem de decoro agit (Or. 70 sqq.). An nimiae audaciae est ex eiusmodi locis vestigia deprehendere eius ordinis, quem inventor quattuor virtutum condidit?

Cicero igitur in libro III De Or. ordinem virtutum ad suum usum mutavit neque latet ratio transponendi. *Πρέποντος* enim praecepta, quem artis locum cum philosophi tum grammatici tractabant, quem rhetores ex elocutione ad *πραγματικὸν τόπον* transferebant (Cic. Or. 70 sqq.), adeo aucta erant, ut sui iuris haec pars facta esset et facile in fine collocaretur, praesertim cum ad oeconomiam libri III De Or. positum *πρέπον* maxime idoneum esset. Crassum enim, qui ex quattuor virtutibus unum ornatum late explicare volebat, Latinitatem et perspicuitatem, primas duas virtutes, percurrit. Quo tandem loco disputatio stabilita esset, si *πρέπον* ante ornatum positum esset? Longa ornatus tractatio in medio collocanda erat.

Sed satis de *πρέποντος* positione dictum est. Doctrina enim cum ordine non est mutata neque domus propterea aliter aedificata est, quod lapis cum lapide sedem mutavit. Ut comprehendam, quae ex Fabio dicimus: Elocutionis praecepta omnia subiunguntur quattuor dicendi virtutibus, Latinitati, perspicuitati, ornatui, decoro. Neque plures in virtutum numerum ducuntur neque alia praecipienda partitio praeter eas virtutes in elocutione, i. e. in tertia artis rhetoricae parte, adhibetur. Omnem illae orbem eloquendi complectuntur.

In hac ratione facere non possum, quin vehementer insistem. Illud maxime velim attendas, quod tria dicendi genera, ut a Cicerone in libro III De Or. ita a Fabio ommissa sunt in ea parte operis, qua elocutionis praecepta traduntur.

Sed in nova libri *περὶ λέξεως* editione Mayerus Quintiliano, cui nonnullas praefationis suae paginas concessit (XIX—XXIV), etiam ea conatur disputando imputare, quae ille consulto, ut nos credimus, praetermisit. Atque primum quidem in ea re aperte peccat, quod octavum librum solum adhibet. Omnis enim elocutionis tractatus, qui patet per libros VIII, IX, X, XI init. percensendus erat. Unum hoc corpus est, etsi Fabius necessitate coactus — nonnumquam paene invitus (IX 4, 146) — id in volumina dissecare debuit. Quamquam paulo clementius quam Cicero etiam Quintilianus increpatur a Mayero. Hic quoque ‘manifesto perverse disposuit argumenta’ (p. XX). Non potuit quidem Mayerus non videre eandem, quam in Cicerone prorsus nullam esse contendit dispo-

sitionem, Fabium quoque consequi. „Totam quam praebet materiam quattuor illis ‘ideis’ (i. e. virtutibus) subiecit.“ Sed melius rem hunc gerere arbitratur quam illum, qui ideas nomine proferat et revera negligat (p. XIX).

Quintilianus elocutioni praefationem praemittit. Hoc nihil alieni habet in propria parte totius artis. Sed etiam ornatui, tertiae elocutionis virtuti, suum prooemium dedit. Cur id fecerit, ipse explicat. Haec enim virtus prae ceteris oratoria est et oratoris laudem efficit. Quid quod accidit, ut in elocutionis prooemio multa iam commemorentur, quae in partis eius gravissimae proprio prooemio iterum afferuntur? Nonne natura hoc fieri dicemus?¹⁾ Aliter Mayerus, qui putat praefationem ornatui propriam statim cum praefatione totius elocutionis coniungendam esse; manifesto Quintilianum caput primum et alterum falso loco posuisse, transponenda ea esse post capitis III paragraphum 43 (p. XXIII). At iam a verbis „Ceterum dicturus“ et sqq. Quintilianus ut ipse affirmat ad vitia ornatus transgreditur, mediam dispositionem Mayerus dissecat, totamque partem VIII 3, 15—39 ornatui detrahit Quintiliano aperte resistente, qui ita divisit: „Quid separata, quid iuncta exigant, consideremus“. De separatis agit 15—39, de iunctis 40sqq. Qua in re nemini puto Mayerum esse persuasurum.²⁾ Nam illius adhibita ratione non redintegratur ordo turbatus, sed integer turbatur. Alterum est, quod ipsam rationem virtutum aut, ut dicere solet, ‘idearum’, et numerum Mayerus mutat. Undecim enim ideas habuisse opinatur Theophrastum; easdem apud Quintilianum extare debere. Satis iam haec conamina evertuntur illis locis, quos supra attulimus, ubi dilucidis et planis verbis *quattuor* virtutes numerantur. Ut utar exemplo, *συνοψίας* ideam Mayerus recuperat ex VIII 2, 19. Quintilianus autem de perspicuitate dicit, quae tollitur duplici modo: „Est etiam in quibusdam turba inanium verborum, qui . . . circumeunt omnia copiosa loquacitate . . . alii *brevitatem aemulati* necessaria quoque orationi subtrahunt verba“ . . . Eadem haec est doctrina, quam Aristoteles exhibet: perspicuitas medium sequitur inter amplitudinem et breviter. Stoici quidem propriam virtutem eam fecerunt, Quintilianus autem illa non utitur. Audacior Mayerus etiam in *δευότητος* et *ἡδέος* virtutibus Fabio tribuendis, quarum cum ipse confiteatur nulla nisi ‘misera’ exstare vestigia (p. XXI cf. p. XXIII), nolo longius morari. Nescio autem, quomodo auctoris ipsis verbis saepe

1) Idem accidit Ciceroni Or. 51—54 et 61sqq. Quintilianus confitetur se repetere, quae iam antea dicta sint VIII 3, 6.

2) Remanet igitur capiti tertio suum nomen *De ornatu*, quod M. vituperat (p. XXI).

repetitis, quibus quattuor virtutibus se uti affirmat, nos fidem denegare possimus. Atque haec quidem de virtutibus.

Postremum autem Mayerus, id quod nostra valde interest, in libro octavo Quintiliani tria dicendi genera sibi videtur invenisse. Non dubitat iis subiungere VIII praef. §§ 18—22 et 33, VIII 3, 1—11, VII 3, 7 et 44sq. VIII 3, 11—14 (cf. M. p. XX prolegg.). Plura eorum vestigia ne ipse quidem detexit. Sed haec iam parum aperta sunt. Quid quod ne nomina quidem trium generum omnibus illis locis reperiuntur? Atque quod in praefatione elocutionis dicitur varias esse eloquendi formas, neque numero neque nomine illis tribus similes, verumne id testimonium putatur? An de vitiis quae exponuntur VIII 3, 44, ad tria dicendi genera deferri possunt? Ne *πρόπovτος* quidem brevis et a proposito aliena mentio VIII 3, 11—14 nomina generum habet neque digna est, quae inscribatur: 'de usu generum dicendi' (sic M. p. XX). Nobis non opus est mente conicere, qua Fabius debuerit ratione uti ad genera tria elocutionis explicanda, quoniam ipse alia operis parte, qua non agit de ipsa elocutione, ea genera tractavit, scilicet in duodecimo libro (10, 58sq.). Atque illa qui leget et cum locis libri octavi a Mayo isdem generibus tribus comparabit, plura ad refutandum non postulabit.

Ex Quintiliano cognoscitur et qua auctoritate ratio *λέξεως* a Theophrasto prolata usa sit et quid Ciceroni debeatur in hac ratione ad posteritatem tradenda.

Post Ciceronem et Quintilianum non ita multum valet, quod recentiores quoque rhetores Latini easdem quattuor virtutes tractare solent. Qui cum differunt, mutandi ratio facile intellegitur. Gravissimus eorum testis Fortunatianus virtutes has enumerat p. 125 (Halm): „Quae alia in elocutione observanda sunt? Ut verba sint Latina, aperta, ornata, apta“. Julius Victor (p. 431H.) omnis pendet a Ciceronis De Oratore libris. Martianus Capella de virtutibus agit p. 472 (excidit *πρόπov*), Cassiodorus p. 515 (hoc ordine: *πρόπov* (§ 1) Latinum, perspicuum, suave et facetum).

Iam satis firmata est nostra de *Theophrasti* arte *λέξεως* sententia, ut ad eos transire possimus testes, qui, ut solet fieri ducentorum fere annorum spatio intercedente, puram illius doctrinam mutatam, auctam, turbatam ostendunt.

Ex quibus primum affero Auctorem, qui ad Herennium scripsit, qui post notam de exemplis proprie fingendis praefationem libri IV duas facit partes elocutionis (§ 10): „Bipertita igitur erit nobis elocutionis praeceptio. Primum dicemus, quibus in generibus semper omnis oratoria elocutio debeat esse, deinde ostendemus, quas res semper habere debeat.“

De prima parte suo loco dicemus. Huc pertinet altera pars, quae inde a capite 12 tractatur: „Quoniam quibus in generibus elocutio versari debeat, dictum est, videamus nunc, quas res debeat habere elocutio comoda et perfecta. Quae maxime oratori accommodata est, tres res in se debet habere: *elegantiam, compositionem, dignitatem.*“ Verba nullam similitudinem cum virtutibus prae se ferunt. Sed qui scripsit eos libros, ipse non ignoravit nomina Graeca parum sollerter in Latinum sermonem esse conversa.¹⁾ Quare nobis cavendum est, ne sub dissimilitudine nominum nos fugiat rationis similitudo. Sub elegantia enim, quam distribuit in Latinitatem et explanationem (IV 17)²⁾, duas primas Theophrasti virtutes, *ἑλλημισμόν* et *σαφήνειαν*, reperimus. Novum est, quod duae virtutes in unum genus contrahuntur. Iam quid dignitas sit, videamus. Ipse explicat: „Dignitas est, quae reddit *ornatam* orationem varietate distinguens. Haec in verborum et sententiarum exornationem dividitur“ (IV 18). Ornatus igitur orationis, quem quartae virtuti Theophrastus subiecit, apud nostrum auctorem dignitatis nomine inscribitur. Alio operis loco, ubi de pronuntiatione dicit pro rebus et sermone vario varianda, dignitatem breviter definit: „Dignitas est oratio cum aliqua gravitate“ (III 23, cf. 24 de voce in dignitate adhibenda). In elocutione non solum gravitatem (*μεγαλοπρεπές*) ei tribuit, sed etiam suavitatem (*ἡδύ*), ut docent extrema libri IV verba: „Omnis rationes honestandae studiose conlegimus elocutionis, in quibus, Herenni, si te diligentius exercueris, et gravitatem et dignitatem et suavitatem habere in dicundo poteris, ut oratorie plane loquaris“ (IV 69), quibus in verbis, cum dignitatem solam fecerit caput *λέξεως*, gravitas et suavitas ei subiungendae sunt.

Sed si ad praecepta dignitatis attendimus, non sine curiositate quadam animadvertimus nulla nisi *σχήματα* tractari. Theophrasti auctores tria faciunt capita ornatus, delectum verborum et eorum compositionem

1) Vide quae dixerit IV 10: „Ergo haec asperiora primo videantur necesse est, id quod fiet rei non nostra difficultate.“ *Σχήματα λέξεως* et *σχήματα διανοίας* vertit *exornationes* verborum et sententiarum. Neque Wilamowitz mihi probatur, qui (Hermae vol. XXXV, p. 27) *σχήματα* dicit, ubi Auctor exhibet ‘*figuras*’ dicendi. Si Cicero vocem *χαρκτης* Latine convertit „forma“ (cf. Or. 36), certe Auctor ad H. si „figura“ dicit, eandem Graecam vocem reddere potest. Neque vocabulum genera (*γέννη*) ignorat (cf. IV 15, IV 17 etc., vide indicem). Quodsi autem adnotat vir doctissimus: „Ein dringendes Bedürfnis ist die Verfolgung der Lehre von diesen *σχήματα* zu den späteren *σχ. διανοίας καὶ λέξεως*“, me fateor id non intellexisse. Neque enim haec generibus recentiora sunt neque ulla propinquitas inter ea intercedit. Ne nomen quidem, ut equidem credo, iis commune erat *σχήματα*.

2) Cf. etiam haec verba: „Elegantia est, quae facit, ut unum quidque *pure* et *aperte* dici videatur“ IV 17.

et figuras, quae in continuatione eorum observantur. Ita Dionysius ipso nomine Theophrasti allato affirmat (de Isocr. cap. 3 p. 539 R), ita Quintilianus suam artem dividit, ita Cicero librum De Oratore III. Auctor ad Herennium duobus capitibus *ornatum* privavit, ex quibus unum omnino deest, scilicet *ἐκλογὴ ὀνομάτων*, nisi quod in *explanatione* propria et usitata verba commemorantur, translata in figuris (IV 45).¹⁾ De verbis bene sonantibus, de priscis et inusitatis, de factis tacet in ornatus praecipione, quae nota ei fuisse videmus in priorie parte, ubi enumerantur quidem, etsi non explicantur (IV 11 de gravi figura, IV 15 de vitiis). Mancus igitur in elocutionis ornatu auctor noster invenitur. Alterum caput ornatui demptum, quod est de artificiosa compositione, proprie tractatum et inter reliquas virtutes receptum est, quamquam natura maxime differt ab elegantia et dignitate. Privigni instar inter veros filios elocutionis versatur. Exiliter sane de compositione praecipit (IV 18) de vitiis fugiendis magis quam de componendi ratione disputans. *Σύνθεσις* tantum auctoritatis in rhetoricis certaminibus occupavit, ut ab ornatu in proprium locum secederet, mox separatim tractatur (Dionysius Halic. *περὶ συνθέσεως ὀνομάτων*). 'Aptum' autem, quae inter rhetoricas virtutes elocutionis maxime philosophica erat, a nostro Auctore, qui totus pendet 'a magistro dicendi', ut nomine utar Tulliano, omnino omititur.²⁾ Etiam in pronuntiatione, quamquam rem *πρέποντι* propriam explicat (III 24sq. de accommodanda ad orationem voce et gestu), decorum silentio premit.³⁾ Postremo ne nomen quidem virtutum (*ἀρετῶν*) adhibetur. *Περιφραστικῶς* dicit: „Quas res debeat habere elocutio comoda et perfecta“.

Haec igitur ratio inter Rhetorica ad Herennium missa et Theophrasti librum *περὶ λέξεως* intercedit: Duae virtutes, *ἑλληνισμός* et *σαφήνεια*, praecipitis ad artem grammaticam delatis adeo minutae sunt, ut in unam elegantiam coirent. Tertium, *πρέπον*, deest. Quarta ornatus virtus nomine dignitatis appellata sola *σχήματα* comprehendit. Ornamenta in delectu verborum sita desunt. Compositio a dignitate abscissa propria pars virtutibus dissimillima facta est. Quamquam igitur aliqua

1) Similiter Quintilianus cf. VIII 3, 38 et VIII 6, 4.

2) Cf. Cic. De Or. I, 132: „Id enim (scil. ne dedecet) est maxime vitandum et de hoc uno minime est facile praecipere non mihi modo, qui sicut unus pater familias his de rebus loquor, sed etiam ipsi illi Roscio: quem saepe audio dicere caput esse artis decere, quod tamen unum id esse, quod tradi arte non possit“.

3) In ornatu quoque vestigium remanet. Dignitas enim reddit ornatum orationem „varietate distinguens“. Varietatis autem *κανόν* et recte variandi ratio ex decore percipitur.

Theophrasti vestigia cognoscuntur¹⁾, tamen Tullii demum opera ad ipsius Eresii sinceram doctrinam redeuntis ratio Theophrastea a magistris dicendi inquinata denuo redintegrata est. Utile est tabulam depingere:

Auctor ad Herennium	Theophrastus
elegantia { Latinitas	ἑλληνισμός
{ explanatio	σαφήνεια
	πρέπον
compositio	
dignitas	κατασκευή
	a) ἐκλογή
<compositio>	b) ἁρμονία
a) exornationes	c) σχήματα.

Ciceronis inter scripta rhetorica unum et dicendi genere et ratione praecipendi mirum quantum a reliquis distat, librum dico, qui inscribitur „Partitiones Oratoriae“ (διαίρέσεις ῥητορικαί), a Cicerone ad editionem neque destinatum neque paratum. Forma utitur dialogi isagogici κατὰ πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν. Filius dicendi studiosus a patre artis peritissimo per omnem τέχνης campum ducitur non tam ad praecepta concipienda, quam ut capita et partes definiendo cognoscat et omnem orbem in conspectu habeat, priusquam adeat singula.²⁾ Multa in hoc libro quaeri possunt et de dictione ex Graeco saepe exemplari accurate conversa et de tempore, quo scriptus sit, et de usu, cui observiat. Nostra interest cum ex Academiae fontibus Ciceronem hausisse (Part. 139) tum ea ratione instituisse librum, ut omnia discerperentur in singulas partes, quo melius definiri possent. Missis ceteris quaestionibus³⁾ ad elocutionem statim aggrediamur.

Totius artis tria summa facit capita: vim oratoris, orationem, quaestionem (3). Vis oratoris (cf. ἔργα τοῦ ῥητορος partes oratoris officii Fortunatianus p. 81 H. Cic. Or. 43) duas partitiones habet, aut πραγματικόν et λεκτικόν τόπον aut quinque partes: inventionem, collocationem,

1) Ita interpretandus est Wilamowitzius: „Dagegen ist das letzte Buch der Rhetorik ad Herennium ein sehr wertvoller Traktat περί λέξεως, dessen asianische Form zu den verständigen Lehrsätzen in seltsamem Kontraste steht. Die theophrastische Grundlage ist auch hier unverkennbar“. Herm. 35, p. 44. Mayerus in prolegg. de Auctore ad H. tacet.

2) Part. 140: „Quare haec tibi sint, mi Cicero, quae exposui, quasi indicia fontium illorum, ad quos, si nobis iisdem ducibus aliisve perveneris, tum et haec ipsa melius et multo maiora alia cognosces“.

3) Vide Frank Joh. Merchant: De Ciceronis Partit. Orat. Diss. Berol. 1890⁴⁾ quamquam eius doctam disputationem ubique probare non possum.

elocutionem, pronuntiationem, memoriam. Tertium caput de quaestionibus potuit inventioni dari, in qua desideranti eas filio respondet pater: „Loco tu quidem quaeris“ (Part. Or. 8). Similiter alterum caput de oratione, i. e. de orationis partibus, collocationi tribui solebat. Consulto igitur videmus capita distrahi, ut separatim definiendo facilius intelligantur.¹⁾ Eandem rationem in elocutione, quae inde a § 16 exponitur, adhibet. Complures partitiones, quae inter se non cohaerent, deinceps enumerantur: (I) Prima partitio est in genus sua sponte fustum (*εἰρομένη λέξις*) et genus versum atque mutatum (*κατεστραμμένη*). (II) Altera est in verba simplicia et coniuncta. Simplicium duae divisiones afferuntur, quarum altera alteram reddit superfluum (§ 16, 17). In coniunctis duo dissimillima coniunguntur praecepta, ut numerosa sit compositio, quod ad ornatum pertinet, alterum, ut *σολοικισμός* evitetur: „Nam ut in simplicibus verbis, quod non est Latinum, sic in coniunctis, quod non est consequens, vituperandum est“. (III) Tertia denique partitio communis est simplicibus et coniunctis in „quinque quasi lumina: dilucidum, breve, probabile, illustre, suave“ (19).

Facile recognoscuntur virtutes elocutionis, quae in hoc libro ‘quasi lumina’ appellantur. Sed quamquam Theophrastea doctrina subest, ipsa doctrinae ratio ab eo differt. Brevitas (*συντομία*), quam Stoici inseruerunt, inter virtutes (lumina) numeratur²⁾, non quo ea de causa Partitiones ex Stoico fonte fluxisse dixerim — Cicero Academiam profitetur — tamen eius auctorem post Stoicos scripsisse apparet. Deinde deest prima virtus Latinitatis (*ἑλληνισμός*), sed potius in numero horum luminum quam in toto libro. Loco enim eo, quem attigi (Part. Or. 18), ut in simplicibus verbis, quod non est Latinum (*βαρβαρισμός*), sic in coniunctis, quod non est consequens (*σολοικισμός*), vituperatur. Quamquam igitur non nisi *ἐν παρέργῳ*, tamen commemoratur *ἑλληνισμός*. Ex virtutibus eo facilius evanuit, quo magis praecepta eius ad grammaticae artis officium transierunt. Non gravior est tertia differentia. Theophrastus eam virtutem, quae ornamenta complectitur, in duas partes divisit, *μεγαλοπρεπὲς καὶ περιττόν* et *ἡδύ*. In Partitionibus vinculo dissoluto duo lumina enumerantur, illustre (*μεγαλοπρεπὲς*) et suave (*ἡδύ*). Atque quid sit ‘suave’, dubium non est. Illustre autem erant qui *ἐνάργειαν* explicarent (etiam Mayerus: p 16), neque potest negari in hoc capite *ἐναργές*

1) Idem usus eundem ordinem effecit, ut hanc primam artis *διαίρεσιν* Cicero dedit in proemii conspectu De Or. I, 138sqq.: 138 τέλος, ὕλη (θέσις, ὑπόθεσις) 142 oratoris vis in quinque partes distributa, 143 orationis partes.

2) Etsi definitio brevitatis praeter perspicuitatem nil novi habet. Obscurum aut longitudine aut contractione fieri dicit. Medium ergo rectum videtur. „Brevitas (fit) . . . nulli rei nisi ut dilucide dicas, serviendo“ (19).

multum valere. Ita enim Cicero illustre exposuit (Part. 20): „Illustis est autem oratio, si et verba *gravitate* delecta ponuntur et translata (*μεταφοραί*) et superlata (*ὑπερβολαί*) et ad nomen adiuncta (*ἐπιθεται*) et duplicata (*διπλή*) et idem significantia (*συνώνυμα*) atque *ab ipsa actione atque imitatione rerum non abhorrentia*. Est enim haec pars orationis, quae rem constituat paene ante oculos; is enim maxime sensus attingitur, sed et ceteri tamen et maxime mens ipsa moveri potest.“ Ea, quae typis mutatis significavi, ad *ἐνάργειαν*, qualem alii quoque auctores exponunt, videntur pertinere. Aristoteles dicit eam *πρὸ ὁμμάτων* rem ponere, posterius definiunt: ἔστι δ' ἐνάργεια λόγος ὑπ' ὅσιν (ὑπὸ τὰς αἰσθήσεις Dionys. H. p. 482R) ἄγων τὸ δηλούμενον (Anonym. Seg. III p. 369 cf. III 199 Sp.).¹⁾ Verba igitur Ciceronis ostendunt *ἐνάργειαν* in ea parte, quae illustrem docebat orationem, a fonte eius collocatam esse.²⁾ Quanti momenti ibi fuerit, etiam comparatione cum dilucido probatur (20): „Est enim plus aliquanto illustre quam illud dilucidum. Altero fit, ut intellegamus, altero, ut videre videamur.“³⁾ Sed etiamsi pars magna illustris orationis est *ἐνάργεια*, tamen praeter eam de verbis eligendis et ad magnificentiam aptis ita dictum est, ut dubium non sit, quin *μεγαλοπρεπές* intelligere debeamus. Quod etiam ex responsione duarum partium ornatus cognoscitur: *μεγαλοπρεπές* et *ἡδύ* diversae et quasi extremae partes sunt, quae inter se reliqua includunt, *ἡδύ* et *ἐναργές* orbem non complectuntur. Itaque Geigenmüller laudandus est, qui in Quaestionibus Dionysianis p. 29 contra Causeret (Étude sur la langue de la rhétorique dans Cicéron) disputans Partitiones recte interpretatur, cum illustre Graece convertat *μεγαλοπρεπές*. Idem probabile, quod in luminibus numeratur, recte rettulit ad *πρέποντος* doctrinam (τὸ πιθανὸν ἐκ τοῦ πρέποντος Aristot. Rhet. III 1414a28).

Hac igitur tabula ratio depingitur, quae inter Theophrasti virtutes et Partitionum lumina orationis intercedat:

	Partitiones	Theophrastus	
	(Commemoratur Latinum (18) sed non inter lumina)	<i>ἑλληνισμός</i>	} ἀρεταί
quasi lumina	dilucidum	<i>σαφές</i>	
	breve	<i>συντομία</i>	
	probabile	<i>πρέπον</i>	
	illustre	<i>μεγαλοπρεπές</i>	
	suave	<i>ἡδύ</i>	
		<i>κατασκευή</i>	

1) Ex multis, qui fuscē *ἐνάργειαν* explicant, afferro *περὶ ὕψους* c. 15.

2) De sede *ἐναργείας* in arte *λέξεως* dubitatio erat Quint. VIII 3, 61.

3) Similem comparationem invenis apud Quint. l. c. (VIII 3, 61): „Quia plus

Ex definitionibus singulorum 'luminum' apparet omnia praecepta tam eligendorum verborum et componendorum quam figurarum iis virtutibus subici. Compositio quidem deest in divisione illustris elocutionis, casu puto, non consulto. Nam suavitatis praeceptio illa capita omnia tractat. Apertius fortasse etiam altero loco, ubi de ornatu agitur Part. 72/73: „Et quoniam in his causis omnis ratio fere ad voluptatem auditoris et ad delectationem refertur, utendum erit in iis ornata oratione et *singulorum* verborum insignibus, quae habent plurimum suavitatis . . . et ipsa *constructione* verborum“ (sequuntur Gorgianae figurae).

Quae cum ita sint, satis elucet Partitiones Oratorias doctrinam virtutum λέξεως a Theophrasto conditam exhibere, sed rationem illo recentiore. Quamquam numerus ipse auctus est sola brevitate Stoicorum. Multas et varias 'ideas', quas Mayerus Theophrasto tribuit, ne Partitiones quidem probant, quamvis audacter contendat Ciceronem in eo libro excerptum praebere ex Theophrasti libro *περὶ λέξεως* (Mayer: prolegg. p. XIII). Nos cognovimus et subesse rationem Theophrasteam et quatenus.

Atque denuo mihi insistendum est, ut attendas, quam non commoventur tria genera dicendi. Omnem orbem elocutionis pater filio ostendit, omnia luminibus subicit.

Sed de Romanorum rhetorum ratione virtutum hactenus. Priusquam ad Dionysium Halic. transeamus, aliam breviter liceat artis partem attingere, quae est de pronuntiatione (*ὑπόκρισις*), quoniam ex elocutione in eam partem natu minores virtutes invaserunt, quarum similitudo nobis testimonii loco est, quo auctoritas λέξεως ἀρετῶν confirmatur.

Ἵπόκρισις sero praeceptis instructa est. Praefatio libri III Rhetoricorum Aristotelicorum dicit eam partem neglectam esse (p. 1403b20): Τρίτον δὲ τούτων ὁ δύνάμιν μὲν ἔχει μερίστην, οὕτω δ' ἐπιχειροῦται, τὰ περὶ τὴν ὑπόκρισιν. Theophrastus noster deinde *περὶ ὑποκρισεως* scripsit.¹⁾ Non multa videtur praecepta tradidisse, si audimus Ciceronem (De Or. I 145) et Auctorem Herennianum (III 19) de angustis eius partis finibus querentes. Equidem libenter credo ad Theophrastum magnam eam auctoritatem referendam esse, qua *πρέπον* (decorum) in praeceptis pronuntiationis utebatur. In elocutione enim favisse eum virtuti *πρόποντος* videmus. De decore in pronuntiatione servando dixerunt, ut utar exemplis. Cic. De Or. I 132, Auctor ad Her. III 23sq. Adhibitus est liber Theophrasti a Cicerone De Or. III 215sq. (cf. 221 et Or. 55sq.).

est evidentia vel, ut alii dicunt, representatio, quam perspicuitas, et illud patet, hoc se quodammodo ostendit“.

1) Cf. M. Schmidt: De Theophrasto rhetore p. 61.

Pronuntiationis divisio in vocem et motum corporis ab ipsa natura oblata apud omnes reperitur. Atque Cicero¹⁾ et Auctor ad Herennium²⁾ ea divisione contenti praecepta omnia iis capitibus subiciunt distribuentes motum corporis in vultum et gestum. Quintilianus primus, quem nos scimus, illam divisionem cum quattuor virtutibus, quas elocutionis esse vidimus, ad *ὑπόκρισιν* translatis permiscuit. XI 3, 30: „Non alia est autem ratio pronuntiationis, quam ipsius orationis. nam ut illa *emendata, dilucida, ornata, apta* esse debet, ita haec quoque *emendata* erit . . . *dilucida* vero erit (33sqq.) *ornata* est pronuntiatio . . . (40sqq.)“. Atque tria haec priora ad solam *vocem* refert, ex iis, quae sequuntur, perspicimus, quantopere concurrant virtutes cum priore divisione. ‘Aptum’ enim, quod quartum numerat, ad gestum non minus quam ad vocem pertinet. Itaque postquam praefatus est § 61: „Iam enim tempus est dicendi, quae sit *apta* pronuntiatio“, inhibet cursum § 65: „Quid autem quisque in dicendo postulet locus, paulim differam, ut *de gestu prius dicam*“. Apparet virtutes ex elocutione in alienam pronuntiationis divisionem esse insertam.

Quintiliani rationem imitatur Chirius Fortunatianus p. 132 H: „Quae ratio est elocutionis, ea est et pronuntiationis, an non? ea. Cur ita? quoniam ut elocutio *emendata* esse debet, *dilucida, ornata, apta*, ita et pronuntiatio“. ³⁾ Quae praecepta pronuntiationis singulis virtutibus subdita sint, neque nostra interest et ex Quintiliano facile comperitur. Ingenium eius, qui pronuntiationis artem primus ad exemplar elocutionis instruxerit, facile quis reprehendet. ⁴⁾ Supervacuum puto esse Theophrastum ab eo crimine defendere. Sed ne recentiores quidem rhetores elocutionis virtutes cum pronuntiatione confudissent, nisi summa illae prae-ditae fuissent auctoritate. Quod quomodo fieri potuit, si revera Tullius eas ex sincero fonte Graeco depravasset, si Graeci rhetores aliam rationem docuissent? Pronuntiationis virtutes mea sententia praeclaram originem et auctoritatem quattuor virtutum *elocutionis* demonstrant.

1) Cic. De Or. III 215sqq. Or. 55. Brut. 141.

2) Auct. ad Her. III 23sqq.

3) Alteram divisionem vocis, vultus, gestus explicavit p. 130 H.

4) Via, qua in pronuntiationem transierint virtutes, cognoscitur ex Cic. Part. Or. 25: „Facit enim (pronuntiatio) et dilucidam orationem et illustrem et probabilem et suavem non verbis, sed varietate vocum, motu corporis, vultu, quae plurimum valebunt, si cum orationis genere consentient eiusque vim ac varietatem subsequenter“. Iam quasi comparatae sunt *ἀρεταὶ λέξεως*, sed nondum pronuntiationis factae.

CAPUT VI.

DE VIRTUTUM DICENDI IN SCRIPTIS CRITICIS
USU ATQUE RATIONE.

Omnes libri, quos adhuc percensuimus, quamvis differant in singulis, omnino tamen in virtutibus dicendi magnam similitudinem exhibent. Iam ad Dionysium transeamus, quem multo longius a Theophrasto distare apparebit. Sed ad historiam virtutum cognoscendam eius scripta vel summi sunt momenti, quoniam nobis demonstrant, qua ratione adhibita sint ἀρεταὶ λέξεως in libris περὶ μιμήσεως; Dionysii enim scripta, ea dumtaxat, quibus virtutes elocutionis insunt, non ad praeceptionem λέξεως, tertiae post εὐρεσιν et τάξιν artis rhetoricae partis, parata sunt, sed ad μίμησιν τῶν ἀρχαίων ostendendam et ad ferenda de veteribus oratoribus iudicia. Hoc genus praecipendi a priore genere, cuius magistros Aristotelem, Tullium, Fabium cognovimus, valde alienum est, neque de virtutum differentia recte iudicabimus, nisi indolem librorum περὶ μιμήσεως consideraverimus.

Cum enim tota fere studia artificiose dicendi ad imitationem se convertissent, artis rhetoricae novum exstitit officium demonstrandi, quae uniuscuiusque et scriptoris et operis laudes imitatione dignae essent quaeque fugienda vitia.

Ad novam autem rationem praecipendi rhetores veterem doctrinam λέξεως ita accommodabant, ut virtutes antea constitutas adhiberent, sed divisis singulis totum numerum valde auferent.

Divisione quidem libris criticis opus erat. Nam in vetere ratione instituendae λέξεως ars aut, ut Graece dicam, τέχνη una erat et simplex, cuius dilucida partitio paucarum virtutum ad discipulorum ingenia formanda accommodata erat, in novis autem scriptis rhetoricis ad μίμησιν pertinentibus oratorum personae multae et variae ad iudicium vocabantur. Qua in re eiusdem dicendi virtutis plures repertae sunt partes, quarum aliam praestabat aliquis, qui idem alia carebat. Itaque singula quaeque pars suo nomine virtus appellata et proprie numerata est.

Unus nobis instar omnium, qui περὶ μιμήσεως scripserunt, est Dionysius, rhetor Halicarnasensis. Amplissima autem iudicia eaque in virtutibus elocutionis posita prior σύνταξις περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων exhibet. Tria in hoc opere Dionysius sibi proponit: Τίνες εἰσὶν ἀξιολογώτατοι τῶν ἀρχαίων ῥητόρων τε καὶ συγγραφέων, καὶ τίνας αὐτῶν ἐγένοντο προαίρεσεις τοῦ τε βίου καὶ τῶν λόγων καὶ τί παρ' ἑκάστου δεῖ λαμβά-

νειν (ἀρεταί) ἢ φυλάττεσθαι (κακίαι) (περὶ τῶν ἀρχ. ῥητ. c. 4 p. 450 R.). Quae inter capita tertium occupat latissimum spatium; nam vitam et προαίρεσιν Dionysius breviter tractare solet¹⁾, summam uniuscuiusque libri collocat in virtutibus ad imitationem demonstrandis.

Quae autem virtutes a Dionysio ad iudicia ferenda adhibeantur, iam videamus.

Atque primum quidem opus est iudicium de Lysia accuratius percensere, quoniam Dionysius ipse in sequentibus iudiciis ad criteria primae partis redire solet.

Omnes virtutes colliguntur enumeratione c. 13 p. 482 R: Καὶ τὰ μὲν περὶ τὴν ἐρμηνεϊάν ἀγαθὰ τοῦ ῥήτορος ταῦτα:

- I. Τὸ καθαρὸν τῶν ὀνομάτων, ἢ ἀκριβεία τῆς διαλέκτου (c. 2).
- II. Τὸ διὰ τῶν κυρίων καὶ μὴ τροπικῶν κατασκευῶν ἐκφέρειν τὰ νοήματα (c. 3).²⁾
- III. Ἡ σαφήνεια (c. 4 prima pars).
- IV. Ἡ συνῶμια (c. 4 altera pars et c. 5, quod iniuria a priore separatur).
- V. Τὸ συστρέφειν τε καὶ στρογγυλίζειν τὰ νοήματα (c. 6).
- VI. Τὸ ὑπὸ τὰς αἰσθήσεις ἔργειν τὰ δηλούμενα ~ ἐνάργεια (c. 7).
- VII. Τὸ μηδὲν ἄψυχον ὑποτίθεσθαι πρόσωπον μηδὲ ἀνηθοποιήτον (ἡθοποιῶν c. 8).
- VIII. Ἡ τῆς συνθέσεως τῶν ὀνομάτων ἡδονὴ μιμουμένης τὸν ἰδιώτην (pertinet etiam ad ἡθοποιῶν, ut docet capituli 8 connexus sententiarum).
- IX. Τὸ τοῖς ὑποκειμένοις προσώποις καὶ πράγμασι τοὺς πρέποντας ἐφαρμόττειν λόγους (c. 9 Τὸ πρέπον — κρατίστην ἀπασῶν ἀρετῆν καὶ τελειοτάτην, ὄρων αὐτὴν πρὸς τε τὸν λέγοντα καὶ

1) Confer has partes iudicii de Lysia I. Τίς δ' Ἀσίας: c. I Ἀσίας—Ἀθήνησι.

II. Τίς ἢ προαίρεσις: c. I πλείστους—φανλοτάταις.

III. Ἀσίου λέξις.

a) ἀρεταί c. II—XIII.

b) κακίαι c. XIV sq.

Sequitur πραγματικὸς τόπος, deinde exempla. Ἀρετὰς autem μιμήσεως causa demonstrari Dionysius iterum atque saepius admonet. Ut unum afferam exemplum, audias haec verba: Μίαν μὲν δὴ ταύτην ἀρετῆν (καθαρότητα Ἀσίου) ἀξίαν ζήλου καὶ μιμήσεως εὐρίσκειν παρὰ τῷ ῥήτορι καὶ παρεκλεουσαίμην ἂν τοῖς βουλομένοις καθαρῶς γράφειν ἢ λέγειν ἐκείνου τὸν ἄνδρα ποιῆσθαι παράδειγμα ταύτης τῆς ἀρετῆς. Lys. c. 2, p. 455 R vide etiam p. 464 init., 469 init., 470 finem, 471, 482 etc.

2) Cuius capituli initio falso supplet 'ἐρμηνεῖα' Radermacherus, 'λέξις' Sadaeus. Qui inde ab extremo c. 2 verba sequitur, ἀρετῆν intellegendam (non supplendam) esse animadvertit. Δευτέρω haec virtus numeratur p. 460 R.

πρὸς τοὺς ἀκούοντας καὶ πρὸς τὸ πρᾶγμα . . . ἀρκούτως ἡρμοσμένην).

X. Ἡ πιθανότης καὶ τὸ πειστικόν (c. 10 init.).

XI. Ἡ χάρις (c. 10—12).

Ταύτην μέντοι κρατίστην τε ἀρετὴν καὶ χαρακτηριστικατέτην τῆς Λυσίου λέξεως ἔργωγε τίθεμαι (εἴ τε φύσει αὐτὴν δεῖ καλεῖν εὐτυχίαν εἴ τε πόνου καὶ τέχνης ἐργασίαν εἴ τε μικτὴν ἐξ ἀμοιβῶν ἔξιν ἢ δύναμιν) ἢ πάντα ὑπερέχει τοὺς λοιποὺς ῥήτορας (c. 11 p. 476R, cf. c. 10 p. 472R, c. 12 p. 481R etc.).

XII. καὶ ὁ πάντα μετρῶν καιρὸς, de quo antea in capite πρόποντος, quo καιρὸς pertinet, Dionysius disputavit.

Quamquam numerus virtutum magnopere auctus est, tamen comparantibus nobis singulas virtutes cum Theophrasto Stoicisque similitudo aperta occurrit. Facillime tres inveniuntur virtutes: καθαρότης (ἑλλητισμός), σαφήνεια, Stoicorum συντομία. Etiam τὸ πρόπον enumeratur; sed non integra haec virtus conservata est, cum πιθανότης καὶ τὸ πειστικόν et ὁ πάντα μετρῶν καιρὸς et ἡθοποιία¹⁾ appellentur virtutes, quae apud eos, qui quattuor aut quinque virtutes exhibent, omnes sub πρόποντος capite tractantur. Plures etiam in partes ornatus virtus (κατασκευή) est dissecta. Sed omnes virtutes, quae ad Theophrasti ornatum pertinent, in tabula nostra desiderantur, quoniam Lysiano generi desunt.²⁾ Commemorantur nonnullae c. 13 (p. 482R): ὑψηλὴ δὲ καὶ μεγαλοπρεπὴς οὐκ ἔστιν ἡ Λυσίου λέξις . . . οὐδὲ τὸ πικρὸν ἢ τὸ δεινὸν ἢ τὸ φοβερὸν ἐπιφαίνουσα οὐδὲ ἀφὰς ἔχει καὶ τόνους ἰσχυροὺς οὐδὲ θυμοῦ καὶ πνεύματός ἐστι μεστὴ οὐδ' ὥσπερ ἐν τοῖς ἡθεσίῃ ἐστι πιθανή, οὕτως ἐν τοῖς πάθεσιν ἰσχυρὰ οὐδ' ὡς ἡδῶναι . . . δύναται, οὕτω βιάσασθαι τε καὶ προσαναγκάσαι.

In duobus, quae sequuntur, iudiciis de Isocrate et de Isaeo eadem virtutum ratio et usus observatur. Novi aliquid alterum, quod est de Isocrate, Lysianis virtutibus addit, quia Isocrates ea praestat elocutionis ornamenta, quae Lysiae desunt. Itaque postquam Isocratis λέξιν capite 2 laudavit, cum esset: 1. καθαρὰ, 2. σαφής, 3. ἐναργής, 4. ἡθικὴ, 5. καὶ πιθανή, 6. καὶ <πρόπουσα>, 7. sed οὐ στρογγύλη, 8. οὐ σύντομος, de compositione artificiosa, ut par est in Isocrate, pluribus verbis dicit. Ornatum autem capite 3 accurate exponit usus Theophrasti partitione

1) De coniunctione ἡθοποιίας cum decoro egit Radermacher: Rh. Mus. 54, 377, cum suavitate Geigenmüller: l. l. p. 42. Aristoteles eam πρόποντι subicit, quod ratio virtutum ipsa videtur postulare.

2) Nisi forte χάριν Lysianam cum ornatu et cum suavitate comparare vis. Sed Dionysius novum id esse criterium confitetur (c. 11 p. 473R).

μεγαλοπρεπείας. Ut omnem¹⁾ virtutum rationem, quam Dionysius ad priorem σύνταξιν περι τῶν ἀρχαίων ῥητόρων adhibuit, collectam habemus, σύγκρισιν inter Lysiam et Isocratem summam habitam affero (de Isocr. c. 11 p. 556 R): πρώτην μὲν τοίνυν ἔφην ἀρετὴν εἶναι λόγων τὴν καθαρὰν ἐρμηνεύσαν . . . ἔπειτα τὴν ἀκρίβειαν τῆς²⁾ διαλέκτου τῆς τότε συνήθους . . . μετὰ ταῦτα ἐπελογιζόμενῃ, ὅτι τοῖς κυρτοῖς καὶ συνήθεσι καὶ κοινοῖς ὀνόμασιν ἀμφοτέρωι κέχρηται . . . τῆς σαφηνείας καὶ τῆς ἐναργείας ἀμφοτέρωι κρατεῖν ἀπεφηνάμην, ἐν δὲ τῷ συντόμῳ ἐκφέρειν τὰ νοήματα Ἀυσίαν μᾶλλον ἡγοῦμην ἐπιτυγχάνειν· περὶ τὰς αὐξήσεις Ἰσοκράτη κατορθοῦν ἄμεινον ἐδόκουν· ἐν τῷ συστρέφειν τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρειν . . . Ἀυσίαν . . . ἐν ταῖς ἡθοποιαῖς ἀμφοτέρωι εὕρισκον δεξιούς, τῆς δὲ χάριτος καὶ τῆς ἡδονῆς ἀναμφιλόγως ἀπεδίδον τὰ πρωτεῖα Ἀυσίᾳ· τὸ μεγαλοπρεπὲς ἐώρων παρ' Ἰσοκράτη. τοῦ πιθανοῦ καὶ πρέποντος οὐδέτερον ἐδόκουν ἀπολελεπεσθαι. ἐν τῇ συνθέσει τῶν ὀνομάτων Ἀυσίαν μὲν ἀσφαλέστερον ἔκρινον, Ἰσοκράτην δὲ περιεργότερον κτλ.

Etiam hoc loco quinque praecipuae virtutes reperiuntur: καθαρότης σαφήνεια συντομία κατασκευὴ πρέπον. Cum vero singulae partes tam reliquarum virtutum quam ornatus pares ipsis virtutibus exhibeantur atque numerentur, fit ut simplex ordo paucarum virtutum iam intricatus videatur et speciem praebeat molis indigestae. Atque quamquam adest ratio quaedam, qua ordo redintegretur, tamen in iudiciis de Lysia, de Isocrate, de Isaeo non adhibetur, cognoscitur vero ex libro II περὶ μιμήσεως, cuius indolem et ex epitoma nobis servata (Frgm. VI U—R) et ex parte quadam perspicimus, quam Dionysius epistolae ad Pompeium datae inserere voluit (c. III—VI ep. ad Pomp.). Easdem virtutes epitoma passim percenset, in quibus iudicia de tribus illis oratoribus posita sunt. Ut exemplum, quod complures complectitur, afferam, conferas velim, quid de comoedia dicat (p. 207 U—R): τῶν δὲ κωμωδῶν μιμητέον τὰς λεκτικὰς ἀρετὰς ἀπάσας· εἰσὶ γὰρ καὶ τοῖς ὀνόμασι καθαροὶ (1) καὶ σαφεῖς (2) καὶ βραχεῖς (3) καὶ μεγαλοπρεπεῖς (4) καὶ δεινοὶ (5) καὶ ἡθικοί (6): Ita etiam in historicis. Sed excerptum epistolae ad Pomp. datae virtutes plenius enumerat et nova ratione disponit. Postquam de πραγματικῷ τόπῳ expositum est, ita pergit (p. 239 sq. U—R): πρώτη τῶν ἀρετῶν γένοιτ' ἂν, ἧς χωρὶς οὐδὲ τῶν ἄλλων τῶν περὶ τοὺς λόγους ὕφελός τι³⁾, ἡ καθαρὰ τοῖς ὀνόμασι καὶ

1) De Isaeo iudicium in virtutibus nihil novi praebet (c. 3 de Isaeo).

2) Sic BPM. Editio U—R codicem F secuta exhibet τὴν.

3) Cf. Arist. Rhet. III c. 5 init.: ἔστι δ' ἀρχὴ τῆς λέξεως τὸ ἐλληνίζειν. Cic. De Or.

III 38: „Nec speramus, qui Latine non possit, hunc ornate esse dicturum“. Cic. Brut. 258.

τὸν Ἑλληνικὸν χαρακτήρα σφύζουσα διάλεκτος *σαφήνεια*¹⁾ τρίτην ἔχει χώραν ἢ καλουμένην συντομίαν . . . ἐνάργεια μετὰ ταῦτα τέτακται πρώτῃ μὲν

τῶν ἐπιθέτων ἀρετῶν. . . μετὰ ταύτην συνίσταται τὴν ἀρετὴν <ἢ>²⁾ τῶν ἡθῶν τε καὶ παθῶν μίμησις . . . μετὰ ταῦτα αἱ τὸ μέγα καὶ θαυμαστὸν ἐκφαλνούσαι τῆς κατασκευῆς ἀρεταί . . . ἔπονται ταύταις αἱ τὴν ἰσχὺν καὶ τὸν τόνον καὶ τὰς ὁμοιοτρόπους δυνάμεις τῆς φράσεως ἀρεταί περιέχουσαι³⁾ . . . ἡδονὴν δὲ καὶ πειθῶ καὶ τέρψιν καὶ τὰς ὁμοιογενεῖς ἀρετὰς εἰσφέρειται . . . Ἡρόδοτος. Τῆς <δὲ> φράσεως [τῶν ὀνομάτων] τὸ μὲν κατὰ φύσιν Ἡρόδοτος ἐξήλωκε, τὸ δὲ δεινὸν Θουκυδίδης . πασῶν δ'⁴⁾ ἐν λόγοις ἀρετῶν ἢ κυριωτάτῃ τὸ πρόπον. Omnes virtutes in duas provincias discesserunt, quarum altera ἐπιθέτους ἀρετὰς comprehendit. De alterius nomine et de tota divisione certiores fimus ex libello de Thucydide conscripto. Nam ante iudicium de Thucydidis elocutione ferendum divisionem λέξεως, qua usus sit, Dionysius proponit c. 21 p. 861R: τὰ δὲ περὶ τὸ λεκτικὸν . . . μέλλω νυνὶ λέγειν . ἀνάγκη δὲ ἴσως καὶ περὶ ταύτης τῆς ἰδέας προειπεῖν, εἰς πόσα τε μέρη διααιρεῖσθαι πέφυκεν ἢ λέξεις καὶ τίνας περιέλληφεν ἀρετὰς . . . c. 22 Ὅτι μὲν οὖν ἅπαντα λέξεις εἰς δύο μέρη διαιρεῖται⁵⁾ τὰ πρῶτα, εἰς τε τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων, . . . καὶ εἰς τὴν σύνθεσιν τῶν ἐλαττόνων τε καὶ μειζόνων μορίων, καὶ ὅτι τούτων αὐθις ἑκάτερον εἰς ἕτερα μόρια διαιρεῖται, ἢ μὲν ἐκλογὴ τῶν στοιχειωδῶν μορίων . . . εἰς τε τὴν κυρίαν φράσιν καὶ εἰς τὴν τροπικὴν, ἢ δὲ σύνθεσις εἰς τε τὰ κόμματα καὶ τὰ κῶλα καὶ τὰς περιόδους, καὶ ὅτι τούτοις ἀμφοτέροις συμβέβηκε (λέγω δὴ τοῖς τε ἀπλοῖς καὶ ἀτόμοις ὀνόμασι καὶ τοῖς ἐκ τούτων συνθέτοις) τὰ καλούμενα σχήματα, καὶ ὅτι τῶν καλουμένων ἀρετῶν αἱ μὲν εἰσιν ἀναγκαῖαι καὶ ἐν ἅπασιν ὀφείλουσι παρεῖναι τοῖς λόγοις, αἱ δ' ἐπίθετοι καὶ ὅταν ὑποστῶσιν αἱ πρῶται, τότε τὴν ἑαυτῶν ἰσχὺν λαμβάνουσιν, εἴρηται πολλοῖς πρότερον . ὥστε οὐδὲν δεῖ περὶ αὐτῶν ἐμὲ νυνὶ λέγειν οὐδ' ἐξ ὧν θεωρημάτων τε καὶ παραγγελημάτων τούτων τῶν ἀρετῶν ἑκάστη γίνεται, πολλῶν ὄντων.⁶⁾ Καὶ γὰρ ταῦτα τῆς ἀκριβεστάτης τέτευχεν ἐξεργασίας.

1) Hiāt verborum contextus. σαφήνεια supplendam esse docet epitoma.

2) ἢ addid. Herwerden recte, ut mihi videtur.

3) Falso conieciunt παρέχουσαι. Complectuntur enim virtutes illas facultates (δυνάμεις), quia capita sunt artis.

4) ὁμοειδῆς πᾶς ὧν libri. Equidem Sauppium, qui coniecit πασῶν δ' delecto verbo ὁμοειδῆς sequi malui, quam Usenerum, qui addit ante πασῶν verbum λείπει (sine δέ).

5) Similis est διαίρεσις in Partitionibus Oratoriis § 16 sqq.

6) Interpunctione editor interpretationem adiuvit. Dubium enim non est, quin supplendum sit πολλῶν ὄντων scil. τῶν θεωρημάτων καὶ παραγγελημάτων,

Cum reliquis locis coacti essemus ex ipsius iudicii ratione colligere λέξεως partitionem, quae ei subesset, hoc gravissimo loco auctor fundamenta, in quibus iudicium construit, ultro ostendit. Duplici autem ratione λέξεις διαίρειται, in partes (μέρη) et in virtutes (ἀρετάς). Nulla videtur inter utramque divisionem esse coniunctio. Μέρη autem minoribus partibus omissis haec sunt tria:

- I. Ἐκλογή τῶν ὀνομάτων,
- II. Σύνθεσις τῶν ὀνομάτων,
- III. ἀμφοτέροις συμβέβηκε τὰ καλούμενα Σχήματα.

Eadem μέρη apud Theophrastum fuisse cognovimus (Dionys. de Isocr. c. 3 cf. supra p. 19sq.), sed non extra virtutum provinciam posita; immo vero haec capita virtutibus subiecta sunt. Eadem ratione etiam Dionysius ad ornatam Herodoti elocutionem describendam ea adhibuit (p. 865 R c. 23): οὗτος δὲ κατὰ τε τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων καὶ κατὰ τὴν σύνθεσιν καὶ κατὰ τὴν τῶν σχηματισμῶν ποικίλιαν μακροῦ δὴ τινι τοῦς ἄλλους ὑπερεβάλετο. Apparet igitur, quae intercesserit inter μέρη illa et ἀρετάς λέξεως coniunctio. Sed ad virtutes veniamus. Comparatis iis, quae in disputatione de Thucydide postea explicantur, et loco ex epistula ad Pompeium allato haec virtutum tabula¹⁾ componitur:

I. Ἀρεταὶ Ἀναγκαῖαι

- | | |
|--------------------|--|
| 1. καθαρὰ λέξεις | } ad Pomp. p. 239, 5 U—R,
de Thucyd. p. 360, 2 U—R. |
| 2. σαφῆς λέξεις | |
| 3. σύντομος λέξεις | |

quod ratio postulat non minus quam grammatica regula. Adnotandum hoc est, quia Geigenmüller in utili suo, quem saepe affero, libro p. 33 certe falso de virtutibus, quas multas esse Dionysius affirmet, intellegit. Quamquam sunt scriptores, qui tanta dicendi licentia utuntur, tamen Dionysius de virtutibus dixisset οὐδῶν. Sed, ut dixi, etiam sententia postulat, ut verbum cum θεωρημάτων καὶ παραγγεμάτων coniungatur, quae Dionysius omisit, ne longus esset.

1) Similem tabulam composuit Ammon: De Dionysii Halicarnassensis fontibus. Diss. Monach. 1889 p. 64, Rhys Roberts: Dionysius of Halic. The three literary Letters, Cambridge 1901 p. 172. Eam autem, quam proponit Geigenmüller: Quaestiones Dionysianae de vocabulis artis criticae p. 34, probare non possum. Falso temptat ἐπιθέτους subiungere capitibus ἡθος et πάθος atque κάλον et ἡδύ (ex libro de comp. verb. arcessitis). Invito Dionysio hoc factum est. Etsi enim ἡθος cum iis, quae ad suavitatem pertinent, et πάθος cum vi et magnitudine cohaeret, velut res cum verbis, tamen non est, cur virtutum elocutionis divisio his duobus capitibus subiungatur. Omnino arbitror eum magis ex verbis specie diversis quam ex rebus ratione diversis tabulam composuisse. Si enim ei virtuti, quam nos II 3 numeravimus, addidit μεγαληγορίαν, μέγεθος, σεμνολογίαν, ἀξίωμα, πίνος, haec omnia alia nomina sunt eiusdem rei. Sed nostra non interest, quam diversis nominibus utatur variandi causa Dionysius, doctrinam virtutum cognoscere volumus. Rectius Roberts l. c.

II. *Ἄρεται Ἐπίθετοι*

1. *ἐνάργεια* ad Pomp. 239, 14 U—R.
2. *ἡ τῶν ἡθῶν τε καὶ παθῶν μίμησις* ad Pomp. 239, 18 U—R.
3. *αἶ τὸ μέγα καὶ θαυμαστὸν ἐκφαίνουσαι τῆς κατασκευῆς ἄρεται* (sic ep. ad Pomp. 240, 1); huc pertinet ex Thucyd. p. 360, 8: *ὑψος καὶ καλλιρημοσύνη καὶ σεμνολογία καὶ μεγαλοπρέπεια*.
4. *αἶ τὴν ἰσχὺν καὶ τὸν τόνον καὶ τὰς ὁμοιοτρόπους δυνάμεις τῆς φράσεως ἄρεται περιέχουσαι* ad Pomp. 240, 3, cf. de Thucyd. 360, 9: *τόνος καὶ βάρος καὶ πάθος, τὸ ἐρρωμένον καὶ ἐναγώνιον πνεῦμα, ἐξ ὧν ἡ καλουμένη γίνεται δεινότης*.
5. *ἡδονὴ καὶ πειθῶ καὶ τέρψις καὶ αἶ ὁμοιογενεῖς ἄρεται* (ad Pomp. 240, 6) cf. de Thucyd. 360, 15: *πειθῶ καὶ χάριτες καὶ ἡδονή*.

III. *Πασῶν ἐν λόγοις ἀρετῶν ἡ κυριωτάτη τὸ πρόπον.*

Ut ab extrema virtute incipiam: *πρόποντι* proprium caput concedendum est, etiamsi post *ἐπιθέτους* affertur. *Ἡ κυριωτάτη πασῶν ἐν λόγοις ἀρετῶν* (cf. de Lys. c. 9 init., Quintil. XI 1, 1), non potest in accessoriis haberi. Verum iam suspicatus est Roberts: „Perhaps this virtue should be placed in a class of its own“ (p. 172), eique assensus est Geigenmüller (p. 68). Quo sublato seriem virtutum, quae *ἐπίθετοι* appellantur, perlustranti occurrit, quid nova divisio sibi velit. Cum ornatus una virtus in multas virtutes discerpta sit, simplex ordo quattuor aut quinque virtutum prorsus dirutus est. Nova iam ratione omnes partes, quae antea ornatus erant, sub unum nomen *ἐπιθέτων ἀρετῶν* colligebantur. *Ἄρεται* igitur *ἐπίθετοι* eundem orbem elocutionis complectuntur, quem apud Theophrastum et Stoicos *κατασκευή* obtinebat, apud Tullium et Fabium ‘ornatus’. Deinde haec tam multa genera ornatus opponuntur necessariis virtutibus, quae in omni oratione esse debent, cum ex numero *ἐπιθέτων* in alia oratione aliae ad necessarias accedant. Nam ex ipsa partitionis ratione intellegitur tum demum virtutes in necessarias et assumptas divisas esse, cum ex una virtute *κατασκευῆς* multitudo illa orta erat. In iudiciis de diversis oratoribus ferendis totum genus necessariorum virtutum in omni elocutione laude digna inveniebant critici, alterius generis aliae ab alio oratore partes assumebantur. A Theophrasti sincera et simplici ratione quattuor vir-

tutum discrimen ἀναγκάλων et ἐπιθέτων ἀρετῶν alienum fuisse omnes docent nos testes, quos Eresii librum περὶ λέξεως secutos esse supra vidimus. Gravissimum Tulliani Oratoris (§ 79) testimonium¹⁾ eiusmodi est, ut quartam virtutem a Theophrasto non minus necessariam existimari cognoscamus quam reliquas tres. Atticorum enim genus dicendi Cicero mancum demonstrare voluit, cum diceret: „Unum aberit, quod quartum numerat Theophrastus in orationis laudibus.“ Quid? si hoc quartum non necessarium ceteris necessariis oppositum esset, itane potuit Cicero Atticos refutare? An grave hoc est crimen, cum omnes ἀναγκαῖαι ἀρεταὶ concedantur, ἐπιθέτους quasdam deesse? Non magis libri De Oratore partitionem illam exhibent. Sed in Partitionibus Oratoriis, quibus virtutum ratio Theophrasto recentior inest, etiam vestigium quoddam, leve sane et alieno loco positum, reperitur: lumina scilicet, quarum cum virtutibus affinitatem cognovimus, distinctione ἀναγκάλων et ἐπιθέτων carent, in narrationis autem virtutibus Cicero eius mentionem facit his verbis: „Nam ut dilucide probabiliterque narremus, necessarium est; sed assumemus etiam suavitatem“ (Part. 31). Unde denuo intellegitur ἐπιθέτους ἀρετάς nihil esse nisi ornatum, cuius loco in 'Partitionibus' suavitas fungitur. Neque Auctor ad Herennium neque Quintilianus²⁾ virtutes elocutionis in necessarias et assumptas dividunt. Sequitur, ut Theophrastus liberandus sit partitione ab eius virtutibus maxime aliena.³⁾ Quae nobis virtutum persequentibus historiam magni momenti est, quoniam in molem indigestam multarum virtutum, quibus libri ad iudicia (χρῆσιν) et ad imitationem (μίμησιν) parati utebantur, ordinem restituit.⁴⁾ Quot autem virtutes duobus capitibus ἀναγκάλων et ἐπιθέτων subiungendae essent, non constabat. Videmus Dionysium eandem virtutem in hac parte operis simplicem adhibere, in illa dividere in plures.⁵⁾ Sed cum variandi causa etiam diversis nominibus eiusdem virtutis uti soleat, cavendum est, ne eandem saepius nume-

1) Geigenmüller (p. 12) duos praeterea locos Oratoris affert: Or. 69: „Probare necessitatis est, delectare suavitatis“, et Or. 185, ubi necessitatis inventa opponuntur voluptatis inventis. Sed de virtutum divisione prorsus nihil inde concludi potest, nec magis ex De Or. III 52.

2) Certe Quintilianus de divisione illa tacet in parte περὶ λέξεως (Lib. VIII —XI). Sed ne ille quidem locus, quem ex libro XII 10,43 Geigenmüller attulit (p. 12), de virtutum partitione testimonium praebet.

3) Quam ei tribuit etiam Mayerus (p. 17,2).

4) Dionysius in libris περὶ μιμήσεως, de Thucydide, de Demosth. inter necessarias et adscitas discrimen fecit. Locos collegit Geigenmüller p. 11sq.

5) Recte Geigenmüller: „Quae cum ita sint, ut aliae in alias redundant virtutes, facile accidit“ (p. 13).

remus. Omnino in tali indole librorum lubricum est certum numerum virtutum Dionysianarum constituere.¹⁾

II. De Latinis.

Ex libris Dionysianis ad *μίμησιν* pertinentibus contigit, ut virtutes elocutionis ad nova studia accommodatas et commutatas esse cognoscere. Non desunt in Latinis scriptis rhetoricis, quae in eodem genere *περὶ μιμήσεως* ducenda sint. Sed ad virtutum cognitionem multo minus idonea sunt, cum maiore etiam licentia in dividendis et appellandis virtutibus Latini utantur quam Dionysius. Haud scio an gravius quam de ipsis virtutibus, quibus utantur, testimonium in eo nobis praebeant, quod aliam certe partitionem rhetoricam veluti tria illa genera dicendi nullam adhibent ad percensendos eos scriptores, quos imitatione dignos putant esse.

Neglecto autem temporum ordine statim post Dionysium de Quintiliani libro decimo Institutionum dicam, cum multis locis hunc ad illum proxime accedere viri docti recte iam admonuerint. Quorum satis est afferre Usenerum, qui in libello, qui inscribitur 'Dionysii librorum de imitatione reliquiae' (Bonnae 1889, p. 110 sqq.) etiam ceterorum, qui de hac quaestione sententias tulerunt, mentionem fecit.²⁾ Revera inter Dionysiana iudicia et Quintiliani catalogum magna intercedit affinitas. Sed ad virtutum rationem intellegendam magis refert, quae sit differentia. Nam cum in Dionysii libro quamvis decurtato ab epitomatore virtutes elocutionis suis nominibus appellatae deprehendantur, apud Fabium nulla certa lineamenta, quibus virtutes describantur, detegi possunt. Etsi multo brevius quam ille plurimos auctores Fabius percenset, tamen cum Dionysio comparatus virtutes obscurat, quas ipse alia operis parte (Lib. VIII, IX, XI) dilucide explicavit, partim quod *πραγματικῶ τόπῳ* magnum locum in iudiciis concessit, partim quod ornamenta elocutionis variis nominibus appellavit, quae ab artis vocabulis ad virtutes adhibitae differunt. Sed Quintilianus cum iterum atque saepius in iudiciis vocabulo 'virtutis' utatur et ipse certe virtutes se adhibere credat, sua ratione demonstrat, quam diversae eae virtutes, quae ad *μίμησιν* et *χρῆσιν* adhibebantur, apud aequales fuerint ab iis virtutibus, quibus praeceptio *λέξεως* utebatur. Pauca exempla sufficiunt ad hanc Quintiliani rationem cognoscendam.

Initio promittit se expositurum esse: „Quae in auctore quoque prae-

1) Singulos locos de virtutibus ex omnibus scriptis Dionysianis congregit Geigenmüller p. 11—71.

2) Etiam Roberts l. l. p. 36, p. 37 cum nota 2.

cipua virtus“ (X 1, 37). Atque statim in Homero notat sublimitatem et proprietatem (i. e. *κυρίων* usum). Ad virtutes, quas Dionysius nos docuit, etiam haec verba pertinent: „Idem laetus ac pressus (*ἡθός, πάθος*) iucundus et gravis (*ἡδύς, μεγαλοπρεπής*) tum copia tum brevitate mirabilis“ (X 1, 46). Sed haec non nisi parva vestigia sunt et maior pars iudicii Homerum ostendit exemplum praefandi, narrandi, argumentandi, concludendi (X 1, 48—51). Orationis igitur partibus nititur. Ita etiam ex insequentibus iudiciis dedita opera maxima pars virtutum colligi potest. De decore dicit praecipue X 1, 70, de pura elocutione ibidem 65 vel 114, de brevitate saepius veluti 63: „Brevis (*σύντομος*) et magnificus (*μεγαλοπρεπής*) et diligens (*ἀκριβής τὴν διάλεκτον*).“ Frequenter occurrit vis (*δεινότης*) et gravitas. Tamen adeo dispersa haec sunt, ut certum ordinem virtutum subesse nemo animadvertat. Quantopere virtutes in iudiciis occultentur, uno exemplo satis manifesto probatur, quo Ciceronem breviter cum Demosthene comparat. Haec enim exhibet X 1, 106: „Quorum ego *virtutes* plerasque arbitror similes, consilium, ordinem, dividendi, praeparandi, probandi rationem, omnia denique, quae sunt inventionis (*πραγματικὸς τόπος*), in eloquendo (*λέξις*) est aliqua diversitas: densior ille, hic copiosior, ille concludit adstrictius, hic latius, pugnat ille acumine semper, hic frequenter et pondere, illi nihil detrahi potest, huic nihil adici, curae plus in illo, in hoc naturae.“¹⁾ Qua in ratione iudicandi propinquitas quaedam cum virtutibus elocutionis deprehenditur, quantopere autem a sincera virtutum doctrina Fabius in parte *περὶ μιμήσεως* iam secesserit, intellegimus, si Dionysii elocutionem Herodoteam cum Thucydide comparantis reminiscimur. Tamen animadvertendum est Fabium virtutibus voluisse uti neque iudicia sua posuisse in generum dicendi distinctione.

Iam ad Ciceronem redeat nostra disputatio, qui in libro, quem de claris oratoribus ad Brutum scripsit, cum Graecis nisi comparandi causa locum non daret, multo longius a Dionysii iudiciis distare videtur quam Fabius. Sed personis haec differentia continetur, non iudicandi ratione. Quod enim ad artem rhetoricam attinet, nihil dubito Brutum Tullianum in iis libris numerare, qui de imitatione (*περὶ μιμήσεως*) sunt conscripti. Ita autem rem se habere ne ultro tibi ex libri Tulliani indole occurrat, primum quidem obstat Latinae eloquentiae a Graecis diversa condicio.

1) Vide, quaeso, quam bene cognoscatur in hoc de Demosthene iudicio Atticorum auctoritas. Demosthenem enim, quem Ciceronis aetate neglegebant, Atticum non poterant non existimare. Sed eius facultatem ad suam rationem interpretabantur (densior — adstrictius — acumine pugnat — brevis est — naturam sequitur), Tullium in Asianis collocabant.

Romae enim viri nobiles et praeclari, cum ex patroni officio pro clientibus orationes in iudiciis haberent aut munere publico coacti apud plebem dicerent, verba sua magis ad personae dignitatem et utilitatem rei, loci, temporis formabant quam ad artis rhetoricae praecepta, atque in sententiarum accurata et prudenti tractatione laudem dicendi censebant positam esse, non in elocutionis floribus ex intima arte petitis. Itaque M. Antonius, ut Cicero memoriae tradidit, de Latinis oratoribus dicebat: „Disertos se vidisse multos, eloquentem omnino neminem“ (Cic. Or. 18). Quae cum ita sint, Cicero in iudiciis suis plures virtutes inventionis, dispositionis, actionis laudare solet quam Dionysius, qui in elocutione diutius versatur. Deinde Cicero innumerabili fere copia oppressus eorum, quos ad iudicium admisit, singulos breviter debet percurrere, Dionysius paucis, quos ad imitationem utilissimos putat, contentus est, ut unumquemque accurate et omni ex parte percensere possit: *Τῶν δὲ ῥητόρων τε καὶ συγγραφέων, ὑπὲρ ὧν ὁ λόγος, πολλῶν πάνυ ὄντων καὶ ἀγαθῶν, τὸ μὲν ὑπὲρ ἀπάντων γράφειν μακροῦ λόγου δεόμενον ὄρων ἐάσω, τοὺς δὲ χαριστάτους ἐξ αὐτῶν προχειρισάμενος κτλ.* (περὶ τῶν ἀρχ. ῥητ. c. 4 p. 451 R). Tullius autem ‘omnes conquisivit, qui in multitudine dicere ausi sint’, ut demonstraret ‘memoria quidem dignos perpaucos, verum, qui omnino nomen habuerunt, non ita multos fuisse’ (Brut. 244 cf. 270, 299). Satisne igitur causae est, cur Bruti cum libris *περὶ μιμήσεως* affinitas umbrata sit? Tamen ne ad veterum oratorum memoriam solam animum advertas, Cicero occasione data ipse te admonet, cum de Hortensio locuturus ita praefaretur: „Sed quoniam omnis hic sermo noster non solum enumerationem oratoriam, verum etiam *praecepta quaedam* desiderat, quid tamquam notandum et animadvertendum sit in Hortensio, breviter licet dicere“ (Brut. 319). Nulla hoc loco praecepta significare potest nisi ea, quibus dicendi studiosi ad imitationem ducantur. Itaque *bonos* se oratores quaerere dicit (Brut. 201). Eodem pertinet, quod novis Atticis, qui Lysiam unum avent aemulari, Catonem Romanum proponit ratus hunc easdem atque Graecum illum praestare virtutes orationis. Sibi ipsi Crassum exemplar elocutionis fuisse profitetur. Atque in Graecis quidem litteris rhetoricis sua sponte factum est, ut de veteribus oratoribus historice simul ageretur, simul de imitatione eorumque virtutibus dicendi; una ratio disputandi duobus his finibus inservire poterat, quoniam idem oratores magno in historia nomine excelebant, quibus rhetores palmam dabant artificiosae dictionis. Ciceroni autem, si vera exempla, quae adulescentes Romani tum temporis imitando effingere debebant, explicare voluisset, de vivis oratoribus maximeque de sua ipsius arte dicendum erat. Consulto autem de vivis tacet. Ne tum qui-

dem, cum Bruto cedens de sua facultate dicendi nonnulla verba facit, partem elocutionis tractat.¹⁾ Cum igitur a Graecis rhetoribus rationem librorum *περὶ μιμήσεως* mutuatus sit ad iudicia de veteribus Latinis oratoribus ferenda, quos ipse imitatione dignos non existimavit iis temporibus, quae iam Marcellos viderunt, Hortensios, Caesares, Cicerones, in simulationem quandam et fallaciam incidit, qua ne imperitos in errorem duceret, ipse veritus videtur esse. Postquam enim veteres oratores percensuit et de Atticis digressionem adiunxit, non statim ad Hortensium et se ipsum redit (Brut. 279, 301), sed Atticum suum de veterum imitatione facit interpellantem (292—301), cuius verba, si ficti sermonis personam detrahimus, Ciceronis ipsius quasi palinodiam, qua libelli sui indolem explicare et a falsa interpretatione defendere studebat, nos existimare licet. Nam sera demum aetas senili sua debilitate ad tantum et tam caecum antiquitatis amorem perducta est, ut Catonem reliquosque disertos illos, quos eloquentium nomine indignos Antonius putavit, ad veram imitationem advocaret. Cicero cum Catonem Atticis pro Lysia commendaret, pravum eorum studium sine dubio in risum voluit convertere; neminem vero tum fuisse Romae concludendum est ne inter Atticos quidem, qui revera Catonis imitationem oratori utilem putaret. Sed ironiae fallacia etiam nostrae aetatis interpretes nonnulli decepti sunt. Cum ironia enim Socratica Atticus Ciceronis rationem iudicandi comparat. Maxime in iudicio de Catone Tullius ei iocasse videtur (293 sq.). Summos deinde, quos ille laudavit, denuo quam brevissime percenset, ut ne Galbae et Lepido, ne Africano et Laelio, ne Carboni et Gracchis, ne Crasso quidem et Antonio plenam laudem concedat, nedum dis minorum gentium, quos 'operarios' humili nomine appellat²⁾ (295—297). Cicero quaestionem de Catone et de vetustioribus oratoribus ad ipsa opera examinanda defert³⁾ et rursus affirmat nihil iis deesse, nisi ea, quae nondum inventa erant, veluti pictorum veterum imagines pigmentis quibusdam soleant carere, quae postea demum in-

1) Brut. 232: „Nec vero tam de virtutibus dicendi tuis, quae cum omnibus tum certe mihi notissimae sunt, quam quod gradus tuos et quasi progressus dicendi studeo cognoscere.“

2) De imitatione haec affero Attici verba: „Galbam laudas. Si ut illius aetatis principem, adsentior . . . sin ut oratorem, cedo, quaeso orationes (sunt enim) et dic hunc, quem tu plus quam te amas, Brutum *velle te illo modo dicere*“ (295).

3) Cicero cum Brutum conscriberet, certe in animo habuit 'orationes veteres explicare' (Brut. 298. 300). Quod promissum si fecisset, similiter de Latinis disputasset, qua ratione Dionysius Lysiam Isocratem Isaeum percensuit. Sed animadvertisse videtur, quanta hi oratores in Graeca arte praestarent auctoritate veteribus Romanis in arte Latina.

notuerint. Quod vero plures, quam imitatione digni sint, attulerit, id ex proposito factum esse explicat, ut oratores Romanos, quantum fieri possit, universos colligat. De Crasso contra Atticum videtur in sententia perseverare. Sicut supra eum tam perfectum laudavit: „Ut eo nihil ferme quisquam addere posset, nisi qui a philosophia, a iure civili, ab historia fuisset instructor“ atque Bruto quaerenti: „Erit aut iam est iste, quem exspectas?“ respondit: „Nescio“, ut quivis Ciceronem ipsum significari intellexeret, ita hoc quoque loco indicat se perfecisse, quod Crassus inchoaverit. „Nec in hoc ironiam duxeris esse, quod eam orationem mihi magistram fuisse dixerim. Nam etsi tu melius existimare videris de ea, si quam nunc habemus, facultate, tamen adolescentes, quid in Latinis potius imitemur, non habebamus.“

Tota igitur hac digressionem declaratur, quomodo Cicero eas virtutes, quas in veteribus oratoribus Latinis morem librorum *περὶ μιμήσεως* secutus laudavit, ab aequalibus dicendi studiosis intellectas voluerit. Iam exemplis 'Bruti' iudicia illustranda sunt: Atque primum quidem duo affero exempla ad totius artis partitionem cognoscendam:

Curionis facultatem Cicero parvi aestimat. Qui cum nomen clari oratoris adeptus sit, ad suum de eo iudicium confirmandum Tullius quinque partes artis, *εὐρεσιν τάξιν λέξιν ὑπόκρισιν μνήμην* breviter percenset (Brut. 214 sqq.). Erat tardus in rebus *inveniendis*, dissipatus in *collocandis*, in actione vero et memoria adeo eum deficiebat ingenium, ut risum moveret. Una igitur *λέξις* splendore verborum et copia placebat. Itaque Cicero omnes artis partes oratori necessarias esse ratus Curioni gloriam detrahit, quam aequales parum critici ei dederunt. Simili ratione iudicium de Antonio instructum est. Primum de inventionem collocationem memoria breviter dicit (139), pergunt de elocutione (140sq.), denique eius actionem laudat, qua maxime excelluerit (141 sq.). Quamquam in perpaucis iudiciis omnes partes apparent, tamen toti operi subest artis rhetoricae *διαλέξεις* in quinque illas partes.¹⁾ Tertiae autem parti, quae est de elocutione, maius quam ceteris et pondus et spatium conceditur. Quae quomodo divisa sit, iam est videndum.

I. Latinitas (*ἑλληνισμός*).

Br. 133 (Catulus) Fuit igitur in Catulo sermo *Latinus*, quae *laus*²⁾ dicendi non mediocris ab oratoribus plerisque neglecta est. (132: Incorporata quaedam Latini sermonis integritas.)

1) Etiam Brut. 25.

2) Ut in Oratore 79 nomen *ἀρετῶν* reddidit vocabulo 'laudes'.

Br. 140 (Antonius) Verba ipsa non illa quidem elegantissimo sermone: itaque diligenter (*ἀκριβῶς*) loquendi *laude* caruit neque tamen est admodum inquinata locutus . . . nam ipsum *Latine* loqui etc.

Br. 143 (Crassus) *Latine* loquendi accurata et sine molestia diligens elegantia.

Br. 258 (Atticus de Caesare) 'Solum quidem', inquit ille, 'et quasi fundamentum¹⁾ oratoris vides locutionem emendatam (*καθαρότης*) et *Latinam*; cuius penes quos *laus* adhuc fuit, non fuit rationis aut scientiae, sed quasi bonae consuetudinis'.

Quibus ex exemplis satis elucet puri sermonis virtutem, vel, ut dicit Tullius, laudem iudiciis subesse. Quin etiam haec virtus saepe laudatur in iis, qui patroni pro clientibus dixerunt integro sermone, sed artis rhetoricae expertes. Brut. 128. 135. 139. 166. 202. 210. 228. 233. 252. 267. Atque his quidem locis nominatur virtus illa, aliis quoque tecte significatur.

II. Perspicuitas (*σαφήνεια*).

Mirum est alteram Theophrasti virtutem elocutionis in Bruti iudiciis deesse. Atque nomen quidem certe desideratur. Vocabula enim 'enucleate' (Br. 35. 115) et 'liquidus' (274), quae Causeret (l. l. p. 169) et Geigenmüller (l. l. p. 29) ad perspicuitatem rettulerunt, propinqua esse apparet, quamquam 'enucleate' magis ad subtilitatem *rerum* mihi videtur pertinere²⁾, sed ab usitata virtutis appellandae ratione certe sunt aliena. Tamen ipsa virtus non plane neglecta videtur esse. Vitium ei contrarium *obscuritatis* reprehenditur (Br. 143), atque *elegantiam*, quam Tullius multis oratoribus tribuit, perspicuitatem mutato nomine amplecti puto ea adductus ratione, qua Auctor ad Herennium (IV 17) *elegantiam* distribuit.

III. Brevitas (*συντομία*). IV. Decorum (*πρέπον*).

Br. 63 (Cato et Lysias) acuti sunt, elegantes, faceti, *breves*.

Br. 158 (Crassus) idem et perornatus et *perbrevis*.

Br. 145 (Scaevola) verbis erat ad rem cum summa *brevitate* mirabiliter *aptus*.

Ad brevitatem pertinet etiam Br. 28. 66. 197. 262.

Ad aptum sermonem Br. 209. 264. Decorum enim laus, ut est eius natura, raro commemoratur, saepius brevitatis, quamquam initio operis eam totius elocutionis laudem esse Cicero negavit: Br. 50 „Brevitas au-

1) Vide supra p. 57 adnot. 3.

2) Ut certe de rebus agit Br. 143: 'In disserendo mira *explicatio*'.

tem laus est interdum in aliqua parte dicendi¹⁾, in universa eloquentia laudem non habet.“ Repudiat igitur eorum sententiam, qui Stoicos secuti *συντομίαν* inter quattuor laudes Theophrasteas pari iure receperunt.

V. Ornatus (*κατασκευή*).

Ornatus creberrima omnium virtutum reperitur. Id enim spectat totus liber Tullianus, ut ostendat quam lente et gradatim ornamenta dicendi ab oratoribus Romanis adhibita et exulta sint. Itaque in qualibet pagina occurrunt exempla, quibus laudetur *κατασκευή*, neque opus est in hac re morari. Magis vero nostra interest, quas in partes ornatus magna provincia disposita sit; apud Dionysium multas eas fuisse cognovimus, Cicero autem multo paucior.

1. *μεγαλοπρεπής*.

Br. 123 (Cicero) Attulimus iuventuti *magnificentius*, quam fuerat, genus dicendi et ornatus.

Br. 126 (C. Gracchus) *Grandis* est verbis.

Br. 203 (Sulpicius) *Grandis* et, ut ita dicam, tragicus orator.

Br. 250 (Marcellus) et lectis utitur verbis et frequentibus et splendore vocis et dignitate motus fit speciosum et *illustre*, quod dicitur, omniaque sic suppetunt, ut ei nullam deesse *virtutem* oratoris putem.

Br. 265 (Torquatus) Summa verborum *gravitas* (*μεγαλοπρέπεια*) et *elegantia* (*καθαρότης* + *σαφήνεια*).

2. *ἡδύ*.

Br. 110 Neque enim refert videre, quid dicendum sit, nisi id queas *solute* et *suaviter* dicere.

Br. 37 (Demetrius Phalereus) *Suavis* (*ἡδύς*), sicut fuit, videri maluit, quam *gravis* (*μεγαλοπρεπής*).

Br. 44 (Pericles) Huius *suavitate* maxime hilaratae Athenae sunt, huius ubertatem et copiam (*μεγαλοπρέπειαν*) admiratae, eiusdem vim dicendi terroremque (*δεινότητα*) timuerunt.

Br. 274 sq. (Calidius) Hic totus *suavitatis* est exemplar.

Br. 276 „Quodsi est optimum *suaviter* dicere, nihil est, quod melius hoc quaerendum putes.“ Desideratur autem in eo vis et contentio (*δεινότης*), quae est „ex omnibus oratoris *laudibus* longe . . . maxima“²⁾ (279).

1) Scilicet laus est narrationis, ut supra in capite de narrationis virtutibus demonstravimus.

2) Paulo post de eadem facultate oratoria Cicero adhibet vocabulum 'virtus'.

His duabus ornatus partibus, *μεγαλοπρεπές* et *ἡδύ*, Cicero contentus est, vel tribus, si vim (*δεινότητα*), quam ipse plerumque cum magnificentia coniungit, proprie numeras. Tamen isdem tribus capitibus iterum atque saepius repetitis defatigare non potuit eos, qui iudicia de oratoribus perlegebant. Quae est eius variandi ratio? Non dicit ubique: hic est ornatus, hic magnificus, hic suavis, hic vehemens, sed partibus ornatus Theophrasteis utitur, ut ostendat, qualis quisque fuerit in eligendis et componendis verbis, qualis in figuris (Dionys. H. de Isocr. c. 3 init.). Sed etiam apud Tullium haec partitio virtutibus subiungitur.

Σχήματα.

Br. 69 Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant *τρόπους*, et sententiarum orationisque formis, quae vocant *σχήματα*.

Br. 141 *Σχήματα* enim, quae vocant Graeci, ea maxime ornant orationem.

Σύνθεσις.

Br. 96 Hoc in oratore Latino primum mihi videtur et *levitas* apparuisse illa Graecorum et *verborum comprehensio*.

Ἐκλογή.

Br. 250 (Marcellus) et *lectis* utitur verbis et frequentibus.

Br. 272 (C. Piso) eratque verborum et delectus elegans (*ἐκλογή*) et apta et quasi rotunda constructio (*σύνθεσις*).

Br. 303 (Hortensius) erat in verborum splendore elegans (*ἐκλογή*), compositione aptus (*σύνθεσις*).

Aperte haec ratio cognoscitur in iudicio de Antonio pluribus verbis elaborato 140 sq. Latinitas eius non omni numero absoluta est. Ornatus autem, quo maxime excellit, laudandus et ad artem perpolitus est.¹⁾ „Sed tamen Antonius in verbis et eligendis (*ἐκλογή*) . . . et collocandis et comprehensione devinciendis (*σύνθεσις*) nihil non ad rationem et tamquam ad artem dirigebat; verum multo magis hoc idem in sententiarum ornamentis et conformationibus“ (*σχήματα*). *Λέξις* igitur, quam quaerimus, in Bruti Tulliani iudiciis divisa est in laudes, quas e diversis exemplis collegimus has: Latinitatem, elegantiam cum perspicuitate, (brevitatem)²⁾, decorum, ornatum cum partibus magnificentiae et suavi-

1) Constructio verborum huius loci *παρενθέσει* paulum distracta est. „Illa (scilicet verba), quae proprie laus oratoris est in verbis“ (scilicet ornatus), quae de laude denuo incipit post *παρένθεσιν* cum verbis: „Sed tamen . . .“

2) Uncis includenda est haec virtus propter Br. 50.

tatis atque cum capitibus suis, verborum delectu, compositione, figuris. Ergo etiam hic liber in fundamentis positus est, quae Theophrastus noster coniecit. Cur autem liberius adhibitae sint virtutes elocutionis et partim commutatae, e diversa ratione instituendae λέξεως et κρῖσεως factitandae intelleximus.

Contra desunt tria dicendi genera, quae Theophrasto tribui solent. Optimo iure de hac re admonuit Hendrickson: „It is noteworthy, that in the ‘Brutus’, although the conventional three officia oratoris are defined (185), yet there appears no trace of the recognition of three corresponding styles“ (A. J. Ph. XXVI 1905 p. 265). Duo sane genera nonnullis locis distinguuntur, alterum inornatum, quod cum subtili comparari potest, alterum ornamentis praeditum et copiosum. Quorum rationem discimus Br. 201: „Quoniam ergo oratorum bonorum (hos enim quaerimus) duo genera sunt, unum attenuate pressequae, alterum sublata ampleque dicentium: etsi id melius est, quod splendidius et magnificentius, tamen in bonis omnia, quae summa sunt, iure laudantur.“ In singulis iudiciis raro ad haec duo genera revertitur, veluti in Stoicis (114 sqq.) vel in Demosthene, quem utriusque generis arbitrum laudat 35: „Nihil (potuit) subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius, nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quidquam esset elatius.“ Sed parva haec sunt generum vestigia, quibus virtutum officium in iudicando nequaquam minuitur.

Iam eo progressi sumus, ut rationem, quae inter dicendi virtutes et tria haec genera conclamata intercedat, tractare possimus.

CAPUT VII.

DE TRIBUS DICENDI GENERIBUS.

Historiam trium dicendi generum conscribere non in animo habeo. Quaestio enim haec est lubrica et fallaciae plena, quippe quae nullis certis testimoniis veterum auctorum confirmetur et a nostratibus in diversas tractetur partes. Tantum dicam, quantum ad intellegendam rationem, quae inter virtutes intercedat et genera, mihi opus videtur esse. Quamquam ne ea quidem tam certis argumentis demonstrari possunt, ut nulla moveatur dubitatio, tamen, quae ex universa utriusque doctrinae indole et usu concludi videntur posse, ut meam scilicet de generibus sententiam proponam.

Ars eloquendi vel, ut Graece dicam, *λέξεως τέχνη*, id agit, ut ei, qui artificiose dicere nesciat, artificiose dicendi tradat rationem. Quaerit Discipulus ex Arte: 'Quid faciam, ut erudite et polite loquar.' Respondet Ars: 'Latine dicas et aperte et apte et ornate: oratio tua non erit vituperanda.' Discipulus: 'Quomodo eas, quas dicis, virtutes assequar?' Ars: 'Latine loqueris, si his uteris praeceptis, aperte, si illis', atque pergit eadem ratione omnes ei explicare virtutes aut quattuor aut, si plures antea postulavit, etiam plures. Nihil est, quod discipulus insuper interroget, habet enim omnia, quae bene observata orationis laudem efficiunt.

Haec simplex est ratio, qua tertia artis rhetoricae pars ab inventoribus instructa est. Sed ubi nova tempora, ut iam in priore capite diximus, nova genuerunt studia, Discipulus quaesivit ex Arte: 'Quomodo alter Lysias fiam, alter Thucydides, alter Demosthenes?' Atque Ars ut ita interroganti responderet, nova praecepta composuit *περὶ μιμήσεως*.

Duae autem erant rationes imitandi: una, qua adolescentibus dicendi studiosis omnes oratores veteres, qui a rhetoribus probati et in ordinem bonorum recepti erant, ad imitationem commendabantur. Neque enim latebat eum oratorem, qui omnibus numeris absolutus esset, inter mortales non inveniri. Itaque in singulis oratoribus, quid laude et imitatione dignum esset, magistri dicendi notabant et discipulos adhortabantur, ut suam dicendi rationem ad virtutes ab omnibus bonis oratoribus petitas effingerent, vitia autem uniuscuiusque evitarent neve desperarent se etiam melius quoddam dicendi genus consecuturos esse quam veteres ipsos, quos imitarentur. Libertas igitur ne in imitatione quidem omnis oppressa est neque nimis duris vinculis adolescentium ingenia coercita sunt. Hanc autem imitandi rationem, quam quin sanam et probabilem putem, facere non possum¹⁾, Dionysius docuit in tribus primis de veteribus oratoribus iudiciis, Quintilianus in libro decimo Institutionum.²⁾ Quibus ex scriptoribus nos capite VI disputationis nostrae demonstravimus primam hanc imitandi rationem ad oratorum iudicia virtutes *λέξεως*, quae in libris ad instituendam elocutionem paratis iam pridem constitutae erant, adhibuisse, generum vero distinctione eiusmodi scripta caruisse.

Altera autem imitationis ratio unum docet veterem auctorem omni ex parte exprimendum esse. Credebant enim acres antiquitatis amatores veterem illum tam perfectum esse, ut novi quamvis elaborarent, eum

1) Aliter iudicat Paulus Otto, qui in primo dissertationis (Quaestiones selectae ad libellum *Περὶ ὕψους*, Diss. Kiel 1904) capite utiliter de libelli sui ratione *μιμήσεως* disputavit. De Auctoris ad. Her. sententia vide IV c. 5.

2) Ita etiam Horatius: *Ars Poet.* 131sqq.

assequi vix possent, nedum superarent. Nullum verbum eius exempli vitiosum aut inornatum esse putabant. Quis vero ille unus esset, ne inter ipsos quidem constabat, cum alii Lysian, Thucydiden alii optimum putarent. Demosthenen, Hyperiden, Aeschinen iam recentiores rati respuebant. Discipulos autem, quibus haec ratio eligendi libertatem non concessit, in multo serviliorem, quam prima, imitationem compulit, ita ut facilius novorum oratorum propria ingenia exstinguerentur, quam libertas admitteretur novi generis orationis formandi. Ne omnino ab arte dicendi adulescentes detererentur, solatio opus erat, quale in nonnullis scriptis nobis servatis reperitur: magna iam laude dignum esse eum, qui ad exemplum perfectissimi oratoris aliquantum accederet, veluti *περὶ Ἵψους* c. 13 (p. 32 Vahlen⁸): *καὶ τῷ ὄντι καλὸς οὗτος καὶ ἀξιωμακίτατος ἐν κλειᾷ ἀγῶνι τε καὶ στέφανος, ἐν ᾧ καὶ τὸ ἠτιτᾶσθαι τῶν προγενεστέρων οὐκ ἄδοξον.* Cic. Or. 6: „Quare non est, cur eorum qui se studio eloquentiae dederunt, spes infringatur aut languescat industria; nam neque illud ipsum, quod est optimum, desperandum est¹⁾, et in praestantibus rebus magna sunt ea, quae sunt optimis proxima.“ Ad discrimen intellegendum utile est testimonio sane recenti²⁾ aures praebere, de quo Brinkmannus egit in Museo Rh. 61, p. 117 sqq. Philosophi contra *μίμησιν* disserebant: *Δυσχερὲς τὸ κατὰ φύσιν ἢ κατὰ τύχην γινόμενον τέχνην καταλαβεῖν.* Rhetores *μίμησιν* defendebant: *Καὶ ὅτι μὲν δυνατόν γινώσκειν τὰ ἰδιώματα τῶν χαρακτήρων, ἀρκούντως ὡς οἶμαι δεδήλωται· δεῖ δὲ μετελθεῖν ἐπὶ τὸ τρίτον ἀπόρημα. τί δὲ τοῦτο ἦν; ‘οὐχ οἶόν τε’ φασὶν ‘ζηλωσαὶ τοὺς τῶν ἀρχαίων τύπους· καταφερομένη γὰρ ἡ φύσις πρὸς τὴν οἰκείαν διάθεσιν μεταβάλλει πρὸς τὴν ἑαυτῆς ἰδιότητα τὴν πᾶσαν τοῦ λόγου διοίκησιν’· καὶ τοῦτο μὲν ἐγγυὲς ἀληθείας. ζηλωσαὶ γὰρ εἰς τὸ ἀκριβὲς τὸν χαρακτήρα τὸν Δημοσθενικὸν ἢ Πλατωνικὸν ἀδύνατον, πλὴν εἰ καὶ μὴ τελέως, ἀλλ’ οὖν ἔσται τοῖς ποιοῦσιν ἐκ μέρους καταληπτόν. ἀραπητόν γὰρ καὶ τῶν ἄλλων ἐγγυὲς ἔλθειν, μὴ τί γε <δὴ> Δημοσθένους ἢ Πλάτωνος.* Quanto fortius, quanto aptius ad inflammandas iuvenum vires Quintilianus in altero decimi libri capite (X2, 8 sqq.). Comparanda sunt cum Graecis, quae attuli, verbis haec: „Sed etiam, qui summa non appetent, contendere potius quam sequi debent. nam qui hoc agit, ut prior sit, forsitan etiamsi non transierit, aequabit. eum vero nemo potest aequare, cuius vestigiis sibi utique insistendum putat: necesse est enim semper sit posterior, qui sequitur. adde, quod plerumque facilius est plus facere quam idem . . . adde, quod quidquid alteri

1) Cicero enim servilem imitationem ipse improbat.

2) Quod ad V saec. post Chr. n. rettulit Brinkmannus.

simile est, necesse est minus sit eo, quod imitatur, ut . . . actus histri-
num veris adfectibus.“¹⁾

Sed cum omnis imitatio in uno auctore posita esset, orta est quae-
stio, quis esset optimus omnium veterum oratorum. Hoc quasi Eridis
pomo factum est, ut inter rhetores novum quoddam bellum Troianum
exardesceret de pulcherrima oratione. Duae autem erant inimicissimae
inter se factiones, quarum alteram Attici tuebantur, Asiani alteram.²⁾
Sed ut litem intellegamus, ea, quae de duabus imitandi rationibus supra
exposita sunt, respicere nos oportet. Utrique enim veteres oratores se
imitari contendebant eorumque auctoritate suum dicendi genus ab adver-
sariorum reprehensione studebant defendere. Attici alteram rationem se-
cuti unum auctorem imitatione exprimendum esse censebant, aut Lysian
aut Thucydiden, Asiani secundum primam *μιμήσεως* rationem omnes
‘Atticos’ oratores advocabant, Lysian quidem non respuebant, sed ei
adiciebant Hyperiden Aeschinen, omnium principem Demosthenen³⁾,
initio fortasse nonnulli etiam Demetrium Phalereum, Dinarchum, De-
maden. Ipse Hegesias, rhetor in Asianae dictionis licentia facile auda-
cissimus, se Lysiae exemplum sectari profitebatur. De vera igitur ratione
imitandi et de praestantia optimi oratoris decertatum est. Quibus armis?
Descriptione generum dicendi. A personis enim oratorum causa ad uni-
versi generis formam diiudicandam delata est. Atque Attici quidem Lysiae
sui genus purum esse in verbis et elegans et solutum dicebant, in sen-
tentiis subtile et acutum, exsanguis, aridum, humile Asiani appellabant.
Contra Asiani, qui suum genus dicendi ornatum et magnificum vole-
bant esse, ab Atticis tumidi vocabantur et inflati. Hic generum dicendi
usus etiam in iis scriptis rhetoricis, quae ad nos pervenerunt, perspici
potest. Illud vero quaerimus, utrum genera dicendi ad certamen de op-
timo oratore gestum inventa et ab initio instructa sint, an constituta
iam antea a rhetoribus ad novam litem sint arcessita. L

Cui quaestioni cum veterum auctorum nulla respondeant testimonia,
ipsam generum indolem atque naturam examinemus necesse est. Neque
desunt vestigia, quibus a rhetoribus, qui *περὶ λέξεως* et *περὶ μιμήσεως*
scripserunt, ad grammaticae artis eam partem, quae *κρίσις* appellatur,
deducamur. Grammatici enim in litterarum thesauris, quos maiores re-

1) Totum caput *περὶ μιμήσεως* optimae doctrinae plenum ex praeclaro quo-
dam fonte (certe non ex Caecilio) haustum est.

2) Quorum nominum de vera interpretatione post Nordeni doctum librum
(A. Kunstprosa vol. I) denuo disseruit Wilamowitz: *Asianismus und Atticismus*
Hermae vol. 35, 1 ff.

3) Cic. Or. 23. 29 sqq. de optim. gen. 13.

liquerant, colligendis, digerendis, explicandis versabantur iidemque γένη et εἶδη litterarum distinguebant, ut auctores in ordines diversos distribuere possent. Itaque in partitionibus artis grammaticae praeter ἀναγνωστικόν, ἐξηγητικόν, διορθωτικόν etiam κριτικόν μέρος enumerari solet, qua de re ne longus sim, Useneri disputationem adeas, quae inscribitur: „Ein altes Lehrgebäude der Philologie“, actis Academiae Monacensis (1892, p. 582sq.) insertam. Quin etiam adeo criticae parti grammatici favebant, ut Dionysius Thrax diceret *κάλλιστον τοῦτο εἶναι πάντων τῶν ἐν τῇ τέχνῃ*, alii autem criticos se appellari vellent et grammaticam criticae parti subiungerent. De Cratete quidem Mallota Sextus Empiricus (adv. Math. I, 79) memoriae tradit: *καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔλεγε διαφέρειν τὸν κριτικὸν τοῦ γραμματικοῦ, καὶ τὸν μὲν κριτικὸν πάσης, φησί, δεῖ λογικῆς ἐπιστήμης ἔμπειρον εἶναι, τὸν δὲ γραμματικὸν ἀπλῶς γλωσσῶν ἐξηγητικὸν κτλ.* In aestimandis autem scriptoribus critici sua sponte impulsus sunt, ut genera et, ut Graeci dicunt, *χαρακτήρας* definirent. Id certe testimonio probatur Taurisci, Cratetos discipuli, cuius verba servantur a Sexto Empirico adv. Math. I, 248: *Ταυρίσκου γοῦν ὁ Κράτητος ἀκουστής, ὡσπερ οἱ ἄλλοι κριτικοί, ὑποτάσσων τῇ κριτικῇ τὴν γραμματικὴν, φησὶ τῆς κριτικῆς εἶναι τὸ μὲν τι λογικόν, τὸ δὲ τριβικόν, τὸ δ' ἱστορικόν. λογικόν μὲν τὸ στρεφόμενον περὶ τὴν λέξιν καὶ τοὺς γραμματικοὺς τρόπους, τριβικόν δὲ τὸ περὶ τὰς διαλέκτους καὶ τὰς διαφορὰς τῶν πλασμάτων καὶ χαρακτήρων κτλ.* Vocabulum *πλάσμα* Tauriscus primus, quem scimus, de generibus dicendi adhibuit. Quod ut ita interpretemur, Procli usu eiusdem vocis commovemur, qui in chrestomathia (apud Photium cod. 239) exposuit: *ὅτι τοῦ πλάσματος τὸ μὲν ἐστὶν ἰσχυρόν, τὸ δὲ ἀδρόν, τὸ δὲ μέσον.*¹⁾ Taurisci igitur ex definitione quamquam de numero generum et appellandi ratione nihil concludi potest, hoc tamen intellegitur *πλάσματα* vel *χαρακτήρας* a criticis Taurisci temporibus tractatos esse²⁾; critici autem sive artem gram-

1) Collectis reliquis locis (addendum est schol. in Dionys. Thrac. p. 449. 26 Hilg.) hunc usum vocis *πλάσμα* recte explicavit Schmid: Mus. Rh. 49, 134sq., prorsus autem falsus est Steinthal: Gesch. d. Sprachwissenschaft II², 184.

2) Usener (l. I. p. 607): „Das Endergebnis aller auf die Werke eines Dichters oder Schriftstellers verwendeten Kritik ist die Feststellung der schriftstellerischen Persönlichkeit, des *χαρακτήρ*. . . . So stellte man gewisse allgemeine Typen auf, unter welche die einzelne schriftstellerische Persönlichkeit untergeordnet werden konnte.“ Sed Usenerus Rabii sententiam secutus ex Peripateticorum artibus rhetoricis genera putat a criticis deprompta esse: „sofern es sich um Formen der Rede handelte, war Theophrasts Werk *περὶ λέξεως* die Hauptquelle.“ Quod falsum esse, si mihi contigit, ut probarem, ea, quae Usenerus de generum apud criticos usu docuit, cum nostra disputatione consentiunt. Scilicet grammatici genera, quae Theophrastus non habuit, in censendis scriptoribus distinxerunt,

ticam eorum officio subiungimus sive eos grammaticis, a rhetoribus, qui praecepta instituendae elocutionis constituerunt, certe alieni sunt.

In rhetoricis autem scriptis, in quibus genera dicendi tractantur, remanent vestigia quaedam grammaticae inventionis. Nam primum quidem omnes veteres scriptores cuiuslibet litterarum ordinis in genera illa distributos esse videmus, quia omnes in criticorum censuram conveniebant. Rhetores autem oratorum maiorem rationem habuissent, si ipsi ad suam praeceptionem genera invenissent. Poetae, philosophi, historici in generibus iis, quae Dionysius in libro de Demosthene descripsit, collocati sunt. Cicero autem cum genera ad oratoriam disputationem, quae Orator inscribitur, adhiberet, disertis verbis philosophos, sophistas, historicos, poetas ex finibus rhetoricorum generum semovit (Or. 61—68). Quamquam enim Homerum Euripidem Menandrum oratores iam pridem in usum suum vocabant, tamen Aeschylum Sophoclem, lyricos poetas, Herodotum historicum, Platonem philosophum sero imitabantur, cum εἶδη litterarum diversissima nulla facta distinctione ad imitationem arriperent.

Deinde autem Theophrastum, qui scripsit *περὶ λέξεως*, inventorem trium generum dicendi credere eo vetamur, quod omnem oratoriam facultatem genera amplectuntur, tam *πραγματικὸν τόπον*, quam *λεκτικόν*. Demetrium in libello *περὶ ῥητορικῆς* unumquodque genus distribuisse in capita *διανολας λέξεως συνθέσεως* infra videbimus.¹⁾ Postremum vero rhetores, qui discipulis complura genera proponebant, facere non poterant, quin de optimo genere iudicium ferrent. Inter plura enim genera ratione dissimilia sed pari laude praedita, quod potissimum imitarentur, adulescentes eligere non poterant. Grammatici autem suis generibus auctores laude dignos et probatos in ordines redigebant specie dicendi diversos, sed pretio non impares. Cuius rationis vestigia etiam in rhetoribus scriptis exstant: Auct. ad Her. IV, 11: „Sunt igitur tria genera . . . in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur.“ Cic. Or. 22: „Horum singulorum generum quicumque vim in singulis consecuti sunt,

unde a rhetoribus de imitatione decertantibus ad iudicia adsumebantur. Genera haud scio an Quintilianus etiam significaverit I 4, 3: „Mixtum his omnibus (artis grammaticae partibus) iudicium est: quo quidem ita severe sunt usi veteres grammatici, ut non versus modo censoria quadam virgula notare et libros, qui falso viderentur inscripti, tamquam subditos submovere familia permiserint sibi, sed auctores alios in ordinem redegerint, alios omnino exemerint numero.“ Grammatica ratione generum Varro usus est: *Et in carmine et in soluta oratione genera dicendi sunt tria probabilia* etc. (Gellius VI 14, 1; Wilmanns p. 205). Polybium non fuisse in generibus auctorem Varronis recte exposuit Hendrickson: A. J. Ph. XXVI 270.

1) Cf. infra p. 106.

magnum in oratoribus nomen habuerunt“ (quocum loco conferendus est etiam Quint. XII 10, 58). Cic. De Or. III 26: „Et si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum et tamen verum, quanto admirabilius in oratione atque in lingua? quae cum in iisdem sententiis verbisque ver- setur, summas habet dissimilitudines, non sic ut alii vituperandi sint, sed ut ii, quos constet esse laudandos, in dispari tamen genere lauden- tur“ (etiam III 34). Brut. 204: „Atque in his oratoribus illud animad- vertendum est, posse esse summos, qui inter se sint dissimiles. Nihil enim tam dissimile, quam Cotta Sulpicio, et uterque aequalibus suis plurimum praestitit.“ Ita quidem *πρακτικός*, cuius officium, ut cum Mar- tiano Capella¹⁾ loquar, spectativum (*θεωρητικόν*) est, cum veterum scripta probat, omnia genera sine ullo de principatu certamine laudare poterat. Rhetores autem cum ‘active’ (*πρακτικῶς*) discipulos docerent, quomodo hi suum genus dicendi conformare deberent, in describendis generibus non tam id agebant, ut veterum orationes eorumque *χαρακτῆρας* expli- carent, quam ut novum genus, quod dicendi studiosus ad veterum exem- plar posset effingere, designarent. Itaque Dionysius, Auctor ad Heren- nium, Cicero, Quintilianus rhetorice generibus usi sunt, ut eorum de- scriptione, quae omnino optima esset dicendi ratio, demonstrarent. Eadem autem causa rhetores commoti sunt, ut characteribus opponerent quasi *παρεκβάσεις* et vitiosa genera. Criticum enim, qui iudicio suo aut omnino auctorem numero exemit aut laude dignum generi cuidam ad- signavit (Quint. I 4, 3), ineptum erat vitiosos auctores generatim cen- sere, rhetori discipulos instituenti necessarium admonere, ne in finitima bonis generibus vitia inciderent. Vitiosos tamen *χαρακτῆρας* ipsis ge- neribus recentiores esse inde elucet, quod vitia *virtutibus* dicendi contra- ria non ita sollerter in vitiosa genera commutata sunt, qua de re cum de Demetrii libello *περὶ ἑρμηνείας* agemus, plura dicenda erunt (infra p. 106sq.). Medio denique generi rhetores vel maxime obtrectabant. Ii enim, qui ex tribus generibus inter se coniunctis novum genus, quod optimum esset, componebant, medium contemnebant et prope neglebant (Cic. Or. 96). Omnem autem eius rationem ii commutabant, qui secun- dum Peripateticorum *μεσότητα* ipsum optimum genus in medio, utrius- que generis participi, ponebant, veluti Dionysius in libro de compositione verborum. Itaque si examinatis generibus probatur eam rationem, qua grammatici vel critici usi sunt, ad generum naturam et indolem accom- modatam esse, rhetorum vero rationem a complurium generum pari laude alienam et ita esse commutatam, ut magis praeciipiendi ratio ha-

1) Qui Varronem secutus est. Usener: l. l. p. 601.

beretur quam iudicandi, iam dubitari nequit, utrorum sit ratio genuina, et utri genera ad suum usum invenerint. Quae si in grammaticorum iudiciis adhibebantur, mirum non est a rhetoribus recepta esse. Postquam enim ad imitationem studium dicendi se totum fere convertit, rhetores, qui *περὶ μιμήσεως* praecipiebant, iudicia a grammaticis, qui eosdem auctores iam pridem censuerunt, quasi ad usum parata in suos libros transtulerunt. Ita factum est, ut termini inter duas institutionis provincias constituti evanescerent; veluti Dionysius Halicarnasensis rhetorem quidem se nominari et esse voluit, sed plurima eius scripta, quippe quae ad imitationem pertineant et veterum auctorum exhibeant censuram, non minus grammatica quam rhetorica appellari possunt. Invicem autem grammaticos novum institutionis genus sibi arrogasse, Tyrannionis, nisi fallor, definitione artis grammaticae probatur. Quam scholiasta ad Dionysii Thrac. artem grammaticam attulit, ut reprehenderet, his verbis: *ὥστε οὐκ ὀρθῶς ὠρίσαστο Τυραννίων τὴν γραμματικὴν, εἰπὼν ἑγραμματοκῆ ἐστὶ θεωρία μιμήσεως· οὐ μόνον γὰρ περὶ μίμησιν καταγίνεται, ἀλλὰ καὶ περὶ λέξεις μὴ ἐχούσας μίμησιν* (Gr. Graeci III 121). Recte quidem scholiasta notavit eam definitionem unam partem artis (*κριτικόν*) comprehendere, non omnes. Ea autem, quae deesse dicit, Tauriscus loco supra laudato (p. 123), *λογικόν* appellavit *μέρος*. Sed non habemus, cur *μιμήσεως* vocabulum aliter interpretemur atque scholiasta, et ab usitata vi rhetorica ad vocis *μιμήσεως* vim philosophicam, qualem Aristoteles (rhet. III p. 1404a21) adhibuit, revertamur.¹⁾ In hac igitur quasi confusione artium genera dicendi ex altera parte facile in alteram transierunt.

Habes meam de origine generum dicendi sententiam. Quo minus autem singulos gradus historiae perspicimus, eo magis teneamus oportet ea, quae de usu generum ex indole librorum, in quibus reperiuntur, in universum cognoscere possimus. Nam in recentibus quoque scriptis rhetoricis, quae ad nos pervenerunt, *χαρακτῆρας* videmus a virtutibus *λέξεως*, quam priorem fuisse tertiae partis instituendae rationem demonstravimus, aut aperte separatos esse aut ita coniunctos, ut confusionis factae certa vestigia reperiantur. Quod si verum est — persequemur

1) Qui ita definitionem explicant, vereor ne Tyrannionem invitum sua ipsorum doctrina exornent. Sed non solum Steinthal ita interpretatus est (Gesch. d. Sprachw. II², 177), verum ei assensus est Usener: l. l. p. 639, qui scholiastam, quem nos sequimur, ita vituperat: „Die billige Widerlegung zeigt, daß der Scholiast die Definition nicht im geringsten verstanden hat.“ Sed scholiastae testimonium unum extat de hac definitione. *Μίμησιν* autem ad grammaticam artem etiam detulit Theodosius Alexandrinus, quem affert Fabricius ad Sexti Empirici locum supra laudatum (p. 92).

autem tria genera per litteras rhetoricas, ut hoc probemus — neminem puto Theophrasti libro *περὶ λέξεως* ea iam impositurum esse.

Primus audiendus est Fabius (L. XII), cuius institutiones cum omnem orbem artis complectantur, dilucide ostendunt, qua quaeque in parte praecepta collocanda sint. Utrumque autem tractabimus, et quae sit generum ratio apud eum et qua in parte operis sint exposita.

Neque enim unam, sed diversas inter se divisiones generum Quintilianus enarrat. Accuratius demum perquirenti duas numerari rationes ex variis vocabulis occurrit. Nam cum his verbis transitum faciat XII 10, 58: „*Altera est divisio, quae in tres partes et ipsa discedit*“, omnia, quae de generibus praecedant, ut ad unam partitionem referamus, admonemur. Quae autem est haec prima generum divisio? Initio rhetor dicendi genera cum pictoribus et statuariis comparat (XII 10, 3 sqq.). Ut pictorum primi, qui inter veteres probandi sunt, Polygnotus et Aglaophon simplicitatem praestant, Zeuxis et Parrhasius ornamentis magis iam indulgent, pictores denique, qui Alexandri aetate floruerunt, etsi genere sunt diversi, tamen in ostentanda arte et in variandis coloribus pari studio flagrant, ut porro inter statuarios temporum intervalla similes ordines efficiunt, cum primum dura quaedam opera fingerentur, deinde molliora, tum demum artis ratio elegans et polita a diversis artificibus diversa excoleretur, ita oratorum tria genera discernuntur aetate. Quo vetustiores, eo horridiores erant oratores, et eo magis carebant arte; vim tamen et dignitatem quandam etiam veteres adepti sunt. Vetusti et horridi sunt Laelius, Africanus, Cato, Gracchus, qui Polygnoti in pictoribus locum obtinent. Medium et aetate et arte spatium Crassus et Hortensius occupant. Sequitur tertio loco magna turba eorum, qui omnia artis ornamenta ostentant, sed propria indole in varias distrahuntur species.

Ad hanc generum divisionem, quae tota pendet ab annorum ordine¹⁾, Quintilianus adiungit Atticorum et Asianorum partitionem nullis certis finibus separatam, ut ea quoque magis ad aetatis quam ad dictionis differentiam pertinere videatur. „Plurimum tamen (orationum formae) invicem differunt, nec solum specie . . . sed genere ipso, ut Graecis Tuscanicae statuae, ut Asianus eloquens Attico“ (XII 10, 1). Ut autem ex aetate tria genera oratorum discernit, ita similitudinis perficiendae causa tertium genus Rhodiorum addit genuinae bipartitioni (XII 10, 18). Sed in exponendis Atticorum et Asianorum generibus disputationem a temporum gradibus avocatur et ad ipsam dicendi rationem reversus ostendit

1) Similem ex annorum spatiis distinctionem generum exponit Cic. De Or. II, 92 sqq. cf. Br. 26 sqq.

omnium generum exempla inter veros Atticos reperiri, ut refutet eos, qui solos se Atticos appellari velint. Ne concedi quidem Romanis oratoribus imitationem Atticorum putat, cum Latina lingua careat gratia et iucundis sonis (XII 10, 27). Postremum denique eos reprehendit, qui *φύσιν* solam sectantur et omnem artem reformidant; ii quoque imitatione utuntur, sed antiquissimorum, nam: „antiquissimum quemque maxime secundum naturam dixisse contendunt“ (XII 10, 42). Satis intellegitur Quintilianum in prima divisione generum, quam unam esse ipse significat, nusquam accurate dictionem ab aetatis differentia seiunxisse. Saepe tam diversos ratione dicendi auctores in uno *aetatis* genere componit, quales Cato fuerunt et Gracchi (XII 10, 45). Sed hoc obscuritatis vitio, quo Fabii prima generum descriptio laborat, de mutata studiorum ratione certiores fimus. Nam in Tullianis scriptis rhetoricis Atticismus nondum cum nimia antiquitatis affectatione in unum genus contractus est. Ciceronem, qui Catonem Romanis oratoribus ad imitandum proponere simulavit, ita supra explicavimus, ut Lysianorum pravitatem *προαιρέσεως* per ironiam refutare nobis videretur (p. 83). Quintilianus autem iam vidit veros Catonis aemulatores (II 5, 21). Eius libro duodecimo probatur, qua ratione antiquitatis imitatio ad generum certamen accesserit. Unde factum est, ut temporum discrimina veterum generum loco substituerentur; ipsa quoque vocabula Atticismi et Asianismi Fabius ita perstrinxit, ut ea memoriae tradere magis videretur quam discipulos docere. His enim verbis incipit: „Et *antiqua* quidem illa divisio inter Atticos et Asianos fuit“ (XII 10, 16).

Quoniam primae divisionis ratione demonstratum est rhetorem nostrum ex suae aetatis studiis eam generum differentiam, quae antea erat, prae temporum distantia, qua tum nitebantur, neglexisse, non iam miramur eum in tribus generibus, quae grande, medium, subtile vocantur, describendis summatim et exiliter comprehendisse, quae in fontibus, maxime in Tulliano Oratore, invenit (XII 10, 58). Quam non adhibuerit ad institutionem genera, ex hisce verbis perspicitur: „Plures igitur etiam eloquentiae facies, *sed stultissimum quaerere, ad quam se recturus sit orator*, cum omnis species, quae modo recta est, habeat usum, atque *id ipsum non sit oratoris, quod vulgo genus dicendi vocant*: utetur enim, ut res exiget, omnibus“¹⁾ (XII 10, 69). Si semper haec valuisset sententia, tria genera nullum in praeceptione artis rhetoricae locum obtinuis-

1) Si autem unum genus necesse est eligere, grande praefert (XII 10, 63). Sequitur, ut eandem sententiam, quam Cicero Oratore suo probare studuit, Fabius defendat. Schmidius, qui alterum locum neglexit, non recte de Quintiliano iudicavit. Rh. Mus. 49, 153.

sent.¹⁾ Ciceroni vero gratias debemus, quod tres partes, in quas recte dicendi institutio imitatione distracta est, rursus in optimi unam formam coegit. Hoc enim spectat eius 'Orator'. Quo facto diversorum generum doctrina superflua erat et pristinae simplicitati provincia instituendae λέξεως reddebatur.

Atque haec quidem de ratione generum. Iam videndum est, qua in parte operis Quintilianus ea collocaverit. Id nostra nunc maxime interest. Hoc autem modo libros suos digessit (I Prooem. 21 sq.): „Liber primus ea, quae sunt ante officium rhetoris, continebit. secundo prima apud rhetorem elementa et quae de ipsa rhetorices substantia quaeruntur, tractabimus. quinque deinceps inventioni (I) — nam huic et dispositio (II) subiungitur — quattuor elocutioni (III), in cuius partem memoria (IV) ac pronuntiatio (V) veniunt, dabuntur. Unus accedet, in quo nobis orator ipse informandus est, et qui mores eius, quae in suscipiendis, discendis, agendis causis ratio, quod eloquentiae genus, quis agendi debeat esse finis, quae post finem studia, quantum nostra valebit infirmitas, disseremus.“²⁾

Eam, quae est de elocutione (περὶ λέξεως), partem accurate et longe separavit a generibus. Ex libris VIII—XI examinatis intelleximus totam λέξεως praeceptionem virtutibus dicendi subiectam esse. Genera ut ab elocutione, si eam tertiam artis partem interpretamur, aliena sunt, ita pertinent ad disputationem de oratore (περὶ ῥήτορος). Genus enim dicendi voluntatem cuiusque propriam efficit, quam Graeci dicunt προαίρεσιν.

Atque Quintilianus quidem quin genera dicendi cum λέξεως praeceptis³⁾ misceri vetet, non dubium est. Postquam hic oculis nostris

1) Itaque Quintilianus admonet innumerabiles revera species inter illa genera esse intermissas XII 10, 66. XII 10, 10: „In oratione vero, si species intueri velis, totidem paene reperiis ingeniorum, quot corporum formas.“ Quocum consentit aliquatenus Dionysius Hal. de comp. verb. c. 21 (p. 145 R): εἰδικὰς μὲν διαφορὰς πολλὰς σφόδρα εἶναι τίθεμαι . . . οἶμαί τε ἴδιον ἡμῶν ἐκάστῳ χαρακτηριστὸν ὡσπερ ὕψεως οὕτω καὶ συνθέσεως ὀνομάτων παρακολουθεῖν . . . τὰς μέντοι γενικὰς αὐτῆς διαφορὰς ταύτας εἶναι πείθεται μόνας τὰς τρεῖς. Ad Graecum exemplum etiam Latini rhetoris distinctio inter species et genera redire videtur.

2) Quint. XII 10, 1 videtur novam dispositionem describere a prima alienam, cum diceret: „Superest, ut dicam de genere orationis. hic erat propositus a nobis in divisione prima locus tertius. nam ita promiseram me de arte, de artifice, de opere dicturum.“ Sed si accuratius animum advertes, 'opus' non est solum ab 'artificis' parte, sed inseritur in eam. Exponit enim post genera, quando artifex dicendi finem faciat, quomodo otium degat. Cf. Lib. I prooem. 21, Lib. XII prooem. De ea consuetudine Quintiliani supra p. 57 adnot. 2.

3) Etiam XII prooem. 3.: „Postquam vero nobis ille, quem instituebamus, orator a dicendi magistris dimissus aut suo iam impetu fertur aut maiora sibi

aciem dedit, videmus optimos auctores eadem ratione ab instituenda elocutione et ab artis praeceptis, quam magistri docent, genera distinxisse.

Ciceronis Orator Latinorum librorum rhetoricorum omnium maxime ad tria genera pertinet. Quid ea sibi velint, ex tota operis indole intellegendum est. Ne longus sim, positis controversiarum ambagibus de ratione, quae inter libros De Oratore et Oratorem intercedat, dicam, quid sentiam.

Libros De Oratore Cicero a re publica gerenda depulsus composuit, ut oratorem summa dignitate ornaret eumque ex scholis magistrorum ad sublimem super omnes singulas artes locum efferret. Quaestionem autem de principatu inter rhetores et philosophos tractatam ita solvit, ut oratori omnem eruditionem adsignaret, philosopho autem talem *ἐργυκλίου παιδείας* plenum oratorem praeferret, quod ille studiis vacaret, hic in vita et acie versaretur et opibus collectis uti sciret. Is igitur orator cum scientia philosophi coniuncta habere debet rhetorica instrumenta et dicendi facultatem. Sed adversarii, quibus impugnat libris suis, minorem in partem philosophi erant, quippe quorum opibus ad bonum oratorem formandum usus sit. Immo vero magistris dicendi obsistit, qui regulis quibusdam discipulorum mentibus iniectis se perfectos oratores promittebant facturos esse.¹⁾ Itaque diu moratur iis disputationis locis, qui ad universam oratoris facultatem pertineant, rhetorica vero praecepta omissis artis quasi elementis ita percurrit, ut perfecti sui oratoris vim in singulis breviter ostendat.

Oratorem autem Cicero conscripsit²⁾, ut suum genus dicendi contra impetum Atticorum defenderet. Ii adversarii adeo non carebant eruditione, ut 'docti' vel 'intellegentes' vel similibus appellarentur nomini-

auxilia ex ipsis sapientiae penetralibus petit, quam in altum simus ablati, sentire coepimus."

1) Tum Roma conferta erat magistris dicendi. Etiam *Graeculi* technicas regulas docebant. Si igitur libros De Oratore contra Latinos, qui dicuntur, rhetores scriptos putas (Norden: A. K. I¹, 222sq.), recte putas, si contra eos solos, in hoc, quod solos dicis, erras. Ut contra Isocratis *φιλόσοφον ἡγετορικὴν*, ita contra Ciceronis similem in Latinis rationem multi a diversis partibus repugnabant. Locos, ubi magistri dicendi diserte increpantur, collegit Norden l. l. p. 223sq. (addendum De Or. I 52) sed attende ad I 19: „Neque eis aut praeceptis (libros rhetoricos dicit) aut magistris aut exercitationibus, quibus utuntur *omnes*, sed aliis quibusdam se id, quod expetunt, consequi posse confidunt."

2) Cf. Schlittenbauer: Die Tendenz von Ciceros Orator. Jahrb. f. class. Phil. Supplem. XXVIII 183sq., qui recte exposuit contra Atticos Oratorem esse conscriptum. Sed non vidit Ciceronem terminos disputationis longe propagasse. Inter causam, qua ad scribendum impulsus est, et rationem, qua certamen tractavit, idem interest, quod inter totam arborem et radicem.

bus, atque totum genus subtile et acutum, cui favebant, quasi natum videretur viris de re magis quam de verbis laborantibus. Cicero invitus propter dicendi genus magis rhetoricum et ornatum ab Atticis inter eos ipsos rhetores numerabatur, quos libris De Oratore refutaverat. Consentaneum est ad certamen tantopere mutatum mutanda ei fuisse arma. Contra Atticos rationes philosophorum non multum valebant.¹⁾ Orator vero probatus contra oratores probatos dissertavit, quis melius haberet dicendi genus. Quaerendum erat, quod genus inter omnia optimum esset.²⁾ Accedit, quod Attici imitatione nitebantur ad suum genus probandum. Itaque etiam illud tractandum erat, quis inter probatos veteres auctores optimus esset.³⁾

Quae cum ita essent, Tullius reliquas quattuor partes vocabulis artis usitatis appellavit, pro λέξεως autem parte, ad quam certamen totum tendebat, se genera tractaturum esse saepe affirmavit ipso elocutionis (λέξεως) nomine consulto, ut mihi quidem videtur, evitato (Or. 54, quo loco omnes praeter λέξιν partes commemorantur). Ex iis, quae de generum natura supra exposuimus, cum audiveris haec Ciceronis verba: „Nulla praecepta ponemus — neque enim id suscepimus — sed excellentis eloquentiae speciem et formam (id est χαρακτήρα Or. 36. 134) adumbra- bimus; nec quibus rebus ea paretur, exponemus, sed qualis nobis esse videatur“ (Or. 43), iam intelleges virtutes, quae ad praecepta instituen- dae elocutionis paratae sunt, in Oratore ne posse quidem adhiberi, sed genera necessaria esse ad describendam oratorum varietatem. Genera enim sola ad certamen cum Atticis ortum valebant atque de generibus Brutus sententiam Tulli rogavit: „Quaeris igitur, idque iam saepius, quod eloquentiae genus probem maxime“ (Or. 3). Itaque ‘Oratoris’ libelli

1) Ratio, quae intercedit inter libros De Or. et Oratorem breviter comprehensa est his Ciceronis verbis: „Ita et doctis eloquentia popularis (Attici, Orator) et disertis elegans doctrina (artifices linguae, De Or.) defuit, (cf. Or. 13). Utrumque in Tullio erat.

2) Hoc propositum esse Cicero saepius dicit cf. Or. 2. 3. 54 etc. Semper genus et χαρακτήρ (forma, figura) commemoratur.

3) Cicero pugnando non contentus erat. Denuo omnem artem quam brevissime percenset et ἰδέσθαι oratoris perfecti in quattuor ex quinque partibus (memoriam quamquam transit, tamen commemorat) describit. Incipit autem a generibus (20sq.), ad quae redit demum § 75. Haec genera certaminis causa exponuntur. Item magnum spatium compositioni verborum concessum ex certamine explicatur. Quae ad artis orbem complendum addidit, ea sunt inserta ratione, ut saepius denuo ordiri videatur atque plura proemia in libro reperiantur. Itaque omnis ordo huius libri intellegitur ex angustiore fine, quem Brutus et Attici ei posuerunt, et ex ampliore consilio Ciceronis, qui libellum ultra temporis necessitatem ad disputationem plenam de oratore perfecto augere voluit. Gravissimus locus § 54, cf. § 52.

indoles, quod ad λέξιον attinet, a tertio De Oratore libro plane aliena est. Librorum autem examen nos docuit in librum De Or. genera non quadrare, quia praecepta λέξεως perlustrantur, in Oratore totam quaestionem pendere a generibus, cum oratores censeantur et praecepta teste Tullio omittantur. Nemo, opinor, iam mirabitur in 'Partitionibus Oratoriis', quibus praecepta in conspectum colliguntur, virtutes aut, ut hic appellantur, 'lumina' orationis exponi, tria autem genera silentio praeteriri.

Nobis de ratione inter genera et virtutes quaerentibus subvenit etiam libellus is, quem de optimo genere oratorum inscribere consuevimus, quam praefationem Cicero orationibus de corona in Latinum sermonem conversis praemisit. In hoc enim prooemio de ratione imitandi verba faciens genera dicendi ab institutione oratoria diserte repudiat eaque defert ad historiam clarorum oratorum describendam, cum de personis dicant aliquid, nihil de re. Locus iste ad rationem inter virtutes et genera dinoscendam tam est idoneus, ut dignus sit, qui totus audiatur (de opt. gen. 1sq.): „Oratorum genera esse dicuntur tamquam poetarum;¹⁾ id secus est, nam alterum est multiplex.“ Poesis enim a natura in diversa genera dividitur, quoniam tragoediam a comoedia, epicum carmen a dithyrambico secernendum esse omnes concedunt. Orationis contra unum est genus, cum omnes debeant oratores persuadere et docendo et delectando et permovendo. „Oratorem genere non divido; perfectum enim quaero. Unum est autem genus perfecti . . . Optimum quidem unum est et proximum, quod ei simillimum.“ Ex hac sua sententia eos reicit, qui in praecipienda arte generibus utuntur.²⁾ De hominibus enim dicunt, si eam quam peractae aetatis oratores facultatem dicendi adepti sint, ostendunt, cum artis sit hanc praeceptis instruere dicendi rationem, qua melior non est, ut futuri sciant oratores, quid opus sit ad bene dicendum. „Oratorum autem si quis ita numerat plura genera, ut alios grandes . . . alios tenues . . . alios eis interiectos et tamquam medios putet, *de hominibus dicit aliquid, de re parum.* In re enim, quid optimum sit, quaeritur, in homine dicitur, quod est.“ Qua igitur ratione

1) Cicero igitur comparisonem sumit a divisione grammatica, ut nos supra temptavimus genera ad κλίαν grammaticam referre. Sed negari nequit ea poeseos genera, quae enumerat, Tullium iniuria cum tribus generibus dicendi, grandi medio subtili, comparare. Debuit enim orationum εἶδη conferre, scilicet γένος ἐπιδεικτικόν συμβουλευτικόν δικανικόν.

2) Quam reprehensionem ne forte in ipsius quoque Tullii Oratorem cadere credas, memineris quaeso eum genera eo adhibere consilio, ut adversarios isdem, quibus pugnare solebant, armis reiceret. Demonstrare autem studuit nulli generi optimam dicendi formam inhaerere, omnia vero genera in ea esse inclusa. Quae ratio cum libelli de optimo genere sententia bene consentit.

Tullius iubet artem institui? Admonet de quinque notissimis artis partibus et λέξις ex virtutibus docet, „siquidem, quod (genus) omnis laudes habet, id est optimum.“

Nullum extat scriptum rhetoricum, quod aequè aperte generibus suum locum tribuat et virtutibus λέξεως institutionem reddendam esse doceat. Quod equidem tibi persuadere velim, Ciceronis ex ore accipis: genera ne possunt quidem ad λέξεως praeceptionem adhiberi, nisi ab iis, qui omnem elocutionem petunt ab imitatione. Imitationi quidem etiam libellus de optimo genere ipse inservit, sed ei rationi, quam primam supra appellavimus, colligendi singulas virtutes ex multis auctoribus (supra p. 89).

Varia Ciceronis scripta rhetorica in hanc composita seriem: Liber III De Oratore, Partitiones Or., Orator, libellus De optimo genere orat. idem nos docent, quod Quintiliani unum operis corpus facilius ostendit, praeceptionem λέξεως in virtutibus positam esse, genera pertinere ad caput de oratore et de imitatione. Sequitur, ut contra rationem peccet, qui genera inter praecepta recipiat. Missos facio posterius aevi rhetores Latinos, etiam ipsum Fortunatianum, qui id agebant, ut ex auctoribus venerabilibus, Cicerone potissimum et Quintiliano, quidquid quoquo loco docuissent, in ἐγχειρίδια sua colligerent. Quia omnia sibi afferenda putabant, genera et virtutes uno tractabant capite, quamquam altera ratio alteram elidebat. Sed videtur etiam Auctor ad Herennium id commisisse crimen. Videtur dico, quoniam specie tantummodo ambo sub elocutione coniunxit, revera autem fines satis apertos posuit.

Atque quartum quidem librum suum, qui est de elocutione, hoc modo Auctor anonymus divisit, ut omnia λέξεως praecepta una parte absolveret, quae incipit a capite duodecimo. Ibi enim explicat: „quas res debeat habere elocutio commoda et perfecta.“ Praefationi autem de exemplis conscriptae (c. 1—7) addit tractatum de tribus generibus (c. 8—11), qui omnis fere ex exemplis constat neque ulla eloquendi praecepta exponit. Quae in hac parte consulto evitari nonnullis locis apparet. Cum enim in describendis generibus commemorandae essent verborum electio et compositio atque dicendi figurae, ea praecepta ad alteram detulit partem IV 11: „Si exornationes sententiarum aut verborum (σχήματα), quae gravitatem habebunt, de quibus post dicemus, adhibebuntur“, vel IV 16: „Omne genus orationis . . . dignitate adficiunt exornationes, de quibus post loquemur“. Multo etiam saepius auctor disputationem ad alteram partem remove debuisset, si genera accurate voluisset describere neque satis habuisset exemplis uti. Contra in altera parte, quae est de virtutibus elocutionis, generum mentionem non fecit.

Etsi igitur praeceptioni elocutionis genera subiunxit (IV 10), tamen propriam iis dedit partem ab ipsa institutione, quam a virtutibus petitam esse demonstravimus, certis finibus segregatam.¹⁾ Cur autem advocaverit genera, nemo iam quaeret, qui ex prooemio eundem ab oratore non φύσει postulare cognoverit, sed praeter artem (τέχνην) et exercitationem (ἄσκησιν) tertiam imitationem (μίμησιν I 3), cuius in provinciam genera cadunt. Itaque adeo non refellit Auctor ad Herennium eam, quam a Cicerone et Quintiliano didicimus, divisionem, ut ipse quoque ostendat genera ab ea praecipienda elocutionis ratione, quae virtutibus continetur, aliena esse.

Priusquam autem ad novum caput transeamus, breviter dicendum est, qua ratione virtutes per genera distributae sint. Si enim genera plenius describuntur et, quae uniuscuiusque propria sint, fuse explicantur, fieri non potest, quin nota et vulgata virtutum doctrina ad iudicium adhibeatur non secus atque iudiciis de singulis oratoribus apud Ciceronem, Dionysium, Quintilianum virtutes subesse cognovimus (c. VI).

Quintilianus autem genera tam breviter enumerat (XII 10, 58), ut virtutibus non utatur, nisi fortuito in exemplis Homericis a Stoico quodam grammatico²⁾ petitis. Ita enim de Menelao XII 10, 64: „Nam et Homerus brevem quidem cum iucunditate et propriam (id enim est non deerrare verbis³⁾) et carentem supervacuis eloquentiam Menelao dedit, quae sunt virtutes generis illius primi“. Brevitatem igitur et elegantiam primo generi adsignat, in sequenti Nestoris exemplo suavitatem (ἡδύ) medio dat generi, magnificentiam (μεγαλοπρεπές) denique grandi generi Ulixis.

Cicero quomodo virtutes inter genera distribuerit, luce clarius est ex illo Oratoris loco, quem saepe in hac disputatione attulimus (Or. 79). Atticorum subtili generi tres ex Theophrasteis virtutibus concedit καθάρων, σαφές, πρέπον, quartam ei denegat, quae ornamenta complectitur; cuius medio generi partem quidem tribuit, grandi omnem. Itaque non omne genus sua propria virtute distinctum est, qua a ceteris, quae eam non praestent, differat. Genus grande et easdem virtutes quam subtile comprehendit et insuper apparatus oratorium, qui Theophrasti quartam implet virtutem. Cur autem Cicero medium et grande genus non ex virtutibus descriperit, ut fecit in subtili, facile intellegitur; *ambo* enim

1) Quo fit, ut elocutionis praeceptionem *bipartire* debeat. Genuina autem instituendi ratio sine dubio uniformis est.

2) De fonte Stoico egerunt Radermacher: Mus. Rhen. 52, 419, Schrader: *Hermæ* vol. 37, 558.

3) Homerus dixit: οὐδ' ἀφαιμαρτοεπής Γ 215.

illam quartam habent, etsi eo differunt, quod alterum partem, alterum totam. Virtutibus autem ita distributis iudicium de generum principatu dilucide latum est, „siquidem quod (genus) omnes laudes habet, id est optimum“ (de opt. gen. 6).

Tum autem, cum *μίμησις* ad regnum pervenerat, consentaneum erat a rhetoribus quaeri, utrum 'virtutes' elocutionis omnino ad studia discipulorum adhiberi possent, an omnem institutionem ab imitatione generum sumi oporteret. Cui quaestioni Cicero respondet De Or. III 36, antequam ad virtutes transeat. Exposuit autem praecedenti disputatione omne laude dignum esse, quod in suo genere esset perfectum (III 26 ad 34), deinde pergit: „Ex qua mea disputatione forsitan occurrat illud, si paene innumerabiles sint quasi formae figuraeque dicendi, specie disparēs, genere laudabiles, non posse ea, quae inter se discrepant, *iisdem* praeceptis atque *una* institutione formari.“¹⁾ Sed Isocratis usus exemplo probat ab eodem magistro saepe diversa esse exulta ingenia. Non secus eandem praeceptionem ad varias species dicendi posse accommodari. Videmus, quam bene Cicero in libris De Oratore simplicem praeciendi rationem a multiformi imitatione et variis generibus (*προαιρέσεις*) defenderit.

CAPUT VIII.

DE VIRTUTUM DICENDI CUM GENERIBUS CONFUSIONE.

Adhuc temptavimus virtutum provinciam a generibus accurate discernere et ostendere, quam certam veteres auctores inter diversas illas rationes distinctionem fecerint. Studiorum rhetoricorum indolem tibi deliberanti ultro occurrit facilem occasionem permiscendae doctrinae recentibus ingeniis esse oblatam. Revera confusas esse virtutes cum generibus ex duobus Graecis auctoribus perspicitur, Demetrium dico *περὶ ἐμπνεύσεως* et Dionysium, rhetorem Halicarnasensem in libro de Demosthene. Ambo plurimi esse putantur ad Theophrasti nostri doctrinam restituendam. Quam opinionem utinam falsam esse demonstraverim! De Dionysio plura erunt dicenda, sed Demetrius res non tam caute et sollerter obumbravit, ut veram Theophrasti rationem sub alieno tegmine non contingat, ut cognoscamus. Laetor me in Demetrio virorum

1) Philodemus nos docuit eiusmodi quaestiones tractatas esse ab iis, qui *artem* esse rhetoricam negabant.

doctorum auctoritate niti, qui iam pridem de libello *περὶ ἐρμηνείας*, quod ad virtutes pertinet, verum mihi videntur perspexisse.

Hac igitur ratione Demetrius de elocutione praecepit, ut generibus quae maiore quam virtutes auctoritate ei uti videbantur, proprium officium iudicandorum oratorum adimeret et virtutum non solum praeceptis sed etiam ipsa ratione impleret. Sed sub *χαρακτήρων* nominibus nota nobis facies *ἀρετῶν* arridet, modo personam iis ab ore detrahimus. Quaecumque autem a Demetrio ex Theophrasto sumpta esse constat, ea omnia ad *virtutes elocutionis* pertinere certum est. Recte igitur Guilelmus Schmid: Mus. Rhen. vol. 49 (1894) p. 148: „Um dies eigentümliche Verhältnisse zu erklären, müssen wir annehmen, Demetrius habe Theophrasts Stoff in einem andern Sinn und somit auch in anderer Anordnung als Theophrast selbst angewendet und das erlösende Wort dürfte gesprochen sein, wenn man sagt: Demetrius hat den Versuch gemacht aus der Lehre des Theophrast von den *ιδέαι* (nos dicimus *ἀρεταί*) eine Lehre von vier *χαρακτήρες*, welche er eklektisch aus jenen *ιδέαι* zusammensetzte, zurechtzuschneiden, ist aber dabei sehr mechanisch und ungeschickt verfahren.“¹⁾ Sed dixerit quispiam Schmidii testimonium factionis nostrae esse, quia et ille quoque *χαρακτῆρας* Theophrasto ademit. Ille audiat Mayerum, qui tria genera semper Theophrasti esse contendit nec tamen in Demetrio facere potest, quin virtutes sub generibus agnoscat.²⁾ Itaque in hac quaestione iam soluta mihi non commorandum putavi esse.

Videamus igitur, quomodo virtutes suis generibus subiciat. *Ἰσχνὸν γένος* maxime perspicuitate efficitur: *μάλιστα δὲ σαφῆ χρῆ τὴν λέξιν (τοῦ ἰσχνοῦ χαρακτῆρος) εἶναι* (191). *Μεγαλοπρεπῆς χαρακτήρ* nomine indicat sibi virtutem magnificentiae adesse. Altera pars quartae virtutis Theophrasteae, suavitas, ad *γλαφυρόν* accessit. *Δεινῷ χαρακτῆρι* neque subiungitur ulla virtus neque potest subiungi, quia eius propria vis omnis consistit in rebus, *λέξις δὲ λαμβανέσθω πᾶσα, ὅση καὶ ἐν τῷ μεγαλοπρεπεί χαρακτῆρι πλὴν οὐκ ἐπὶ τὸ αὐτὸ τέλος* (272). Quod nihilo-

1) Quo magis summam probo, eo minus in singulis, de quibus aliter mihi iudicandum videtur, haerebo. Sed ad fidem faciendam adnotare liceat me alia via atque Schmidium progressum eandem sententiam de libelli indole concepisse.

2) Prolegg. p. XXIV: „Demetrius non *περὶ χαρακτήρων λόγον* Theophrasti disputat: omnino enim nec tria illa genera habet nec, quod gravissimum est, singulorum scriptorum *φύσιν* atque *προαίρεσιν* describit; agit autem *περὶ ιδεῶν*“. Atque cum Schmidium hoc loco non afferat Mayerum, conicio eum quoque alia via ad eundem finem pervenisse. Cetera, quae de ratione inter Theophrastum et Demetrium dicit (p. XXV sq.), mihi non probantur.

minus *δεινόν* genus, quale sit cum in eligendis tum in componendis verbis (241 sqq.), separatim exponit, inde explicatur, quod *μεγαλοπρεπές* magis ad ostentationem pertinet, *δεινόν* autem ad vim illam oratoriam, quae in acie et foro ex vera contentione sua sponte nascitur; sed vera vis cum oratores declamitantes prae simulato tumore paulatim deficeret, denuo rhetoribus detegenda erat in veteribus exemplis, ut discipulis ad imitationem proponeretur.¹⁾

Ipsam *μεγαλοπρέπειαν* Theophrastus teste Dionysio hac ratione divisit: *καθόλου δὲ τριῶν ὄντων, ὡς φησι Θεόφραστος, ἐξ ὧν γίνεται τὸ μέγα καὶ σεμνὸν καὶ περιττὸν ἐν λέξει, τῆς τε ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων καὶ τῆς ἐκ τούτων ἀρμονίας καὶ τῶν περιλαμβανόντων αὐτὰ σχημάτων* (Dionys. de Isocr. c. 3). Quocum conferendus est Demetrius: *ἐν τρισὶ δὴ τὸ μεγαλοπρεπές, διανοία, λέξει, τῷ συγκεῖσθαι προσφόρως*. Neque deerant, qui Demetrii partitionem ad Theophrastum referrent. Id certe non intellego, qua ratione credi possit, utramque partitionem — et eam, quam Dionysius exhibet laudato Theophrasti nomine, et Demetrianam — ab eodem scriptore in uno opere coniunctam fuisse.²⁾ Primum quidem *διάνοια* apud Demetrium accedit, quia *χαρακτῆρες* omnem orationem describunt; Theophrasti autem 'virtutes' erant *ἀρεταὶ λέξεως*.³⁾ Duo, quae sequuntur, capita consentiunt, *λέξις* cum *ἐκλογῇ* et *τὸ συγκεῖσθαι προσφόρως* cum *ἀρμονία*, sed *σχήματα* Demetrium nulla ratione servata partim in compositione partim in *διανοία* collocavisse satis notum est, Theophrastum proprio ea tractasse capite Dionysius tradit et ii probant, quos Theophrasti virtutes sequi cognovimus. Itaque etiam divisione *μεγαλοπρεπείας* demonstratur Demetrium a Theophrasti ratione aliquatenus discessisse.

Ut virtutibus ad *χαρακτῆρας* describendos, ita ad eorum *παρεκβάσεις* Theophrasti 'vitiis' dicendi Demetrius usus est. Quas ut explicet, hanc adhibet comparationem (114): *ὥσπερ δὲ παράκειται φαῦλά τινα ἀστείοις τισίν, οἷον θάρρει μὲν τὸ θράσος, ἢ δ' αἰσχύνῃ τῇ αἰδοῖ, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τῆς λέξεως ταῖς ἀρεταῖς παράκεινται ἀμαρτήματά τινα* debuit Demetrius pergere, si comparandi genuinam rationem, quae erat in virtutibus, servavisset. Sed ex suo consilio dicit: *τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ τῆς ἐρμηνείας τοῖς χαρακτῆρσι παράκεινται διημαρτημένοι τινές*. Quibus verbis addit *ψυχροῦ* definitionem ex Theophrasto depromptam: *ὀρίζεται δὲ τὸ ψυχρὸν Θεόφραστος οὕτως· ψυχρὸν ἐστὶ τὸ ὑπερβάλλον*

1) *Δεινότης* multo recentior est quattuor Theophrasteis virtutibus.

2) Hac in re Radermacher mihi videtur erravisse. Mus. Rhen. 54, 376 sq.

3) Itaque Dionysius diserte addit: *τὸ μέγα καὶ σεμνὸν καὶ περιττὸν ἐν*

τὴν οἰκείαν ἀπαγγελίαν.¹⁾ Ex 'decoro' igitur Theophrastum explicavisse τὸ ψυχρόν intellegitur.²⁾ Sed qui ita definit, num *χαρακτήρα*, cuius ne nomen quidem occurrit, in animo habet describere? Atque in *ψυφροῦ* parte alia quoque³⁾, quae disserit Demetrius, Theophrasti sapere ingenium nemo mirabitur, ex ceteris autem tribus vitiosis generibus unum saltem, scilicet τὸ ξηρόν, ad Theophrastum, quamquam non appellatur, referendum puto esse. Nam cum verba tum ipsa definiendi ratio adeo consentit cum frigido, ut ad eundem inventorem ambo redire veri simile sit. Sicut *ψυχρόν ὑπερβάλλει τὴν οἰκείαν ἀπαγγελίαν* ita „*περὶ τὴν λέξιν γίνεται τὸ ξηρόν, ὅταν πρᾶγμα μέγα σμικροῖς ὀνόμασιν ἀπαγγεληῖ*“ (237). Omnia fere, quae sequuntur in capite *ξηροῦ*, ex decoro petita sunt.⁴⁾ Atque vitium *ψυχρόν*, quo peccat is, qui nimis ornamentis indulget, ita est contrarium *ξηροῦ* vitio eius, qui parum ornamentis utitur, ut consulto facta videatur haec ratio et genuina esse. Utrumque iam attigit Aristoteles Rhet. III 2, 1404b4: *καὶ μήτε ταπεινὴν (ξηρόν) μήτε ὑπὲρ τὸ ἀξίωμα (ψυχρόν, Aristot. Rhet. III 3), ἀλλὰ πρέπουσαν*. Quam rationem magistri Theophrastus, ut solet, servavit⁵⁾, sed latius explicavit definiendo atque addendo nomine.

Ut in his duobus vitiosis generibus Theophrasti auctoritas perspicitur, ita in reliquis duobus ratio multo recentior. Quae non solum exiliter admodum Demetrius describit, sed etiam vocabulis appellat parum idoneis. Quod *γλαφυροῦ χαρακτήρος παρέκβασις* nominat *κακόζηλον*, ipse auctor excusat: *ὀνομάζω δὲ αὐτὸν τῷ κοινῷ ὀνόματι κακόζηλον* (186). Multo enim latius hanc vocem patere sciebat, quam ad unius generis *παρέκβασις*. Quin etiam ipse alio libelli loco *κακόζηλον* cum

1) Unde perspicitur Theophrastum in definitione λέξιν solam comprehendere, Demetrius ex sua ratione addidit *διάνοιαν* § 115

2) Qua re probatur, quod de positione *πρέποντος* supra dictum est (p. 60 sq.). Ante *ψυχρόν*, quod est *μεγαλοπρεπειᾶς* vitium, necesse est Theophrastum explicavisse, qualis esset *οἰκεία ἀπαγγελία*. Tamen nequaquam licet conicere *ψυχρόν* non *μεγαλοπρεπειᾶ* sed *πρέποντι* oppositum esse, ut voluit Schmid, Mus. Rhen. 49, 149. Praecedenti enim *πρέποντος* virtute Theophrastus ad quartae virtutis *παρέκβασις* definiendam certe potuit uti.

3) Maxime 119 sqq. Etiam Aristotelica per Theophrastum puto accepta a Demetrio esse.

4) Ita 237: *ἀλλ' ἐν μεγάλοις καὶ πρέπονσι τῷ ὑποκειμένῳ πράγματι (ὀνόμασιν ἐχορῆν λέγειν)*. 238 de compositione: *ἢ γὰρ ἀποκοπή καὶ ἀπρεπῆς καὶ ἀκαιρὸς*. Theophrastus contra sophistarum et rhetorum sententias, qui eiusdem rei *ἀὔξησιν* et *μείωσιν* specimen esse oratoriae facultatis opinabantur, docuit: *τὸ πρέπον ἐν παντὶ πράγματι φυλακτίον, τοῦτ' ἔστι προσφόρως ἐρημνευτέον, τὰ μὲν μικρὰ μικρῶς, τὰ μεγάλα δὲ μεγάλως* (120).

5) Schmid: Rh. Mus. 49, 149 Theophrasti *μικτὴν λέξιν* apud Demetrium sibi videtur repperisse, sed falso, de vera *μεσότητος* Theophrasteae ratione disputavit Hendrickson loco iam saepe laudato (A. J. Ph. XXV).

frigida oratione coniungit: *πολλάκις μέντοι τὸ μὲν διανόημα αὐτὸ ψυχρὸν τί ἐστι καὶ, ὡς νῦν ὀνομάζομεν, κακόζηλον* (239). Quarto denique *δεινῷ χαρακτῆρι* respondere docet τὸ *ἄχαρι*; sed id quoque cum *ψυχρῷ* quasi cohaeret: *ὥστε καὶ ἄχαριν τὸν λόγον ἅμα καὶ ψυχρὸν γενέσθαι* (304). Ex descriptione autem *γλαφυροῦ χαρακτῆρος* (128sq.) intellegitur *ἄχαρι* multo rectius eius vitium appellari quam *δεινοῦ*. Si igitur Demetrii quattuor vitiosa genera percensemus, duobus iis generibus dicendi, *ἰσχνῷ* dico et *μεγαλοπρεπεῖ*, quae cum Theophrasteis virtutibus propinquitatem quandam habent, vitiosa quoque respondent genera, quae cum pristina doctrina consentiunt, *γλαφυροῦ* autem et *δεινοῦ χαρακτῆρος*, quorum in descriptione recentioris aetatis studium et Asianismi vim cognosci licet, eiusmodi sunt *παρεκβάσεις*, ut ab ipso Demetrio fictae videantur esse, aut ex recenti certe fonte haustae. Ex omni autem libelli indole sequitur, ut Demetrius quamvis gravis nobis in singulis existat testis doctrinae Theophrasteae¹⁾, tamen in tota artis partitione et elocutionis instituendae ratione longe ab Eresii sinceritate distet. Itaque semper iudicio opus est, ut fragmenta a Demetrio allata ex ipsorum Theophrasti verborum ratione intellegantur neve ex propria indole eius loci, quo Demetrius ea collocavit.

Iam transeundum est ad Dionysium Halicarnasensem.

Cuius multa quidem scripta rhetorica ad nos pervenerunt, nullum vero recte intelleges, nisi semper memineris *κριτικόν* fuisse eum et *μιμήσεως* studiis instrumenta suppeditavisse. Finis igitur praecipienda, quem sequitur Dionysius, quin a Theophrasti fine et totius illius aetatis studiis rhetoricis abhorreat, non est dubium. Semper mirari me confiteor ab isto Dionysio maximeque ab eius de Demosthene iudicio viros doctos nostrae aetatis suam de Theophrasti libro *περὶ λέξεως* sententiam petivisse. At nonnullis locis Dionysius diserte Theophrastum laudat suum auctorem! Certe, sed is, qui universam alicuius libri indolem sequitur, multo rarius solet auctoris nomen usurpare, quam ille, qui non nisi singula quaedam alienae immiscet disputationi.

Si ad *λέξεως* doctrinam attendimus, libri Dionysiani quamquam omnes critici sunt, in duo tamen discedunt genera, quorum alterum in virtutibus positum est, alterum in generibus dicendi. Quae de illo supra exposuimus, paucis repetere e re videtur: A Theophrastea simplicitate virtutes in maiorem copiam commutatae et ad *λέξεως* exemplum etiam pragmaticae inventae sunt virtutes; attamen in tot tantisque differentiis

1) Accurata interpretatione et comparatione plura etiam, quam solet, ex singulis praeceptis Theophrasto reddi possunt, maxime capiti *πρέποντος*.

illa partitio fundamenta, quae Eresius iecit, conservavit. Itaque rhetori erudito et in priorum scriptis admodum versato, ut mihi quidem existimatur Dionysius, facilis oblata erat occasio ipsius Theophrasti ad descriptionem virtutum adsumendi. Revera omnia, quae ex Theophrasto in iudicia de Lysia et Isocrate fluxerunt, eiusmodi sunt, ut ad ἀρετὰς λέξεως certe pertineant, magis vero quadrent in simplicem rationem quam in Dionysii multiforem. Omnia etiam ad praecipendam elocutionem excogitata esse apparet. Nunc alterum genus tractandum est, cui insunt genera dicendi.

Duo autem sunt scripta, utrumque et spatio et auctoritate praeter cetera minora excellens, quae in censum veniant, libros dico de Demosthene et de compositione verborum. De hoc altero mihi excusandum est, quod eum inter criticos libros numero; nam Dionysius prooemio affirmat se praecipendi causa περὶ συνθέσεως scribere: duas enim totius elocutionis partes esse, ἐκλογὴν ὀνομάτων et σύνθεσιν, hanc statim se tractaturum, illam postea promittit se additurum esse, ut omnia comprehendat. Quare capitibus 6—20 docet, quomodo verba componenda sint; haec saltem pars libri ad institutionem λέξεως pertinet atque, si rationem rhetoricam, qua nititur, quaerimus, eam a Theophrasti virtutibus non ita longe abesse videmus, quamquam constat eas ipsas ne in priore quidem parte libri περὶ συνθέσεως adhibitae esse. Ut enim Theophrastus ab omni oratoria elocutione ἀρετὰς exigit, sic Dionysius τὸν βουλούμενον συντιθέναι τὴν λέξιν εἶς iubet duo observare: τὴν ἡδονὴν et τὸ καλόν (c. 10).

Utriusque species capite 11 (p. 53R) enumerat: τάττω δὲ ὑπὸ μὲν τὴν ἡδονὴν τὴν τε ὦραν καὶ τὴν χάριν καὶ τὴν εὐστομίαν καὶ τὴν γλυκύτητα καὶ τὸ πιθανὸν καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα, ὑπὸ δὲ τὸ καλὸν τὴν τε μεγαλοπρέπειαν καὶ τὸ βάρος καὶ τὴν σεμνολογίαν καὶ τὸ ἀξίωμα καὶ τὸν πίνον καὶ τὰ τούτοις ὅμοια. ταυτὶ γὰρ μοι δοκεῖ κυριώτατα εἶναι καὶ ὡσπερ κεφάλαια τῶν ἄλλων. Quas partes omnes fere inter virtutes Dionysianas Theophrasto similes repperimus (supra p. 78). Cum autem compositio in vetere arte rhetorica non totius elocutionis, sed ornatus (κατασκευῆς) pars fuerit (supra p. 19sq.), similitudo Dionysii cum Theophrasti ornatu satis perspicitur, quae virtus et ipsa quoque in duo capita, ἡδύ et μεγαλοπρεπές¹⁾, divisa est. Sed Theophrastus unam eam esse docuit, Dionysius non solum duas partes non coniunctas fecit, sed

1) μεγαλοπρεπές = καλόν Dionysianum, ut monuit Kroll: Rh. Mus. 62, 93. In hac parte etiam πρόπον, quod in Theophrasti virtutibus multum valebat, late exponitur c. 10—20.

eas etiam in multas dissecuit particulas.¹⁾ Eresium ipsum non esse fontem libri de compositione verborum maxime ex rhythmorum ratione intellegitur, quae iambos commendet et omittat paeonas.²⁾ Itaque Dionysius in ea parte operis, quae ad veram institutionem instructa est, partitionem compositionis Theophrasti *κατασκευῆς* divisioni non dissimilem, in rhythmis eligendis tamen alienam adhibuit.³⁾ Accedit altera pars, qua nitor, ut librum in criticos referam. Praecepta enim componendi postquam Dionysius absolvit (c. 20 p. 144 R) promisitque se ea, quae deessent, in cotidianis exercitationibus esse suppleturum⁴⁾, transit ad genera compositionis explicanda. Quare cum antea praeceperit, qua ratione verba essent componenda, iam describit, qualis fuerit probatorum auctorum compositio. Ne longus sim, ea quoque de re ad Krollium te dimitto, qui differentiam inter illas libri de compositione partes recte observavit.⁵⁾

Primum igitur Dionysius unumquodque genus, quale sit, describit deinde auctores enumerat, qui in eo floruerint, tum longa exhibet exempla eaque accurate persequitur. Haec igitur ratio est librorum criticorum. Praecipere sane etiam hac in parte in animo habet, sed ex nova imitationis ratione, quam ad veterem artis institutionem recentem accessisse scimus.

Tria enarrat genera compositionis, quibuscum statim comparabo genera λέξεως: grandi generi respondet *ἀόστηρά* et medio *γλαφυρά σύνθεσις*, *ἰσχνὸς χαρακτήρ* non habet suum compositionis genus.⁶⁾ *Συν-*

1) Ipse tamen facere nequit, quin ambo ad unam instituendi rationem referat c. 13 p. 71 R: *ἐξ ἀπάντων δὴ φημι τοῦτων ἐπιτηδεύεσθαι δεῖν τὸ καλὸν ἐν ἀρμονίᾳ λέξεως, ἐξ ὧν περὶ καὶ τὸ ἡδύ.* Theophrastus simpliciter opponit *καλὰ ὀνόματα*, quae ornatam reddant orationem, humilibus verbis Dionys. de comp. verb. c. 16 p. 101 R.

2) Kroll: Rh. Mus. 62, 97, cuius sententiam de Theophrasto, quem trium generum inventorem putat, non probo, de Dionysii libro autem multa vere mihi videtur disputasse.

3) Grave illud fragmentum Theophrasteum, quod in hac parte invenitur, inculcatum inter aliena esse apparet. Dionys. c. 16 p. 101 R, Kroll: Rh. Mus. 62, 99 sq.

4) Locus hic aptus videtur esse ad Dionysii eiusque aetatis rationem exercitationum cognoscendam. In quibus imitationem regnasse denuo cognoscitur, nam: *πολλῶν καὶ ἀγαθῶν ποιητῶν τε καὶ συγγραφέων καὶ ῥητόρων μαρτυροῖσι χρῆσομαι.*

5) Rh. Mus. 62, 92: „Entweder kann man die Einteilung in *ἡδεῖα* und *καλὴ σύνθεσις* zu Grunde legen oder die nach den drei *χαρακτήρες*. beides nebeneinandergestellt hebt sich auf“. Illud verbum ‘oder’ reiciemus, quia genera ad *instituendam* compositionem natura scimus non apta esse, sed laetor his verbis: „beides nebeneinandergestellt hebt sich auf“. In Dionysio hoc concedimus: Theophrasto, philosopho non parvi ingenii, tam inconcinnam et contrariam λέξεως partitionem aequo animo tribuimus?

6) Cic. Or. 77.

θέσεως tertium genus initio *εὐκρατον* appellatur (c. 21 p. 146R), postea autem ad exemplum Peripateticae *μεσότητος* inventum videtur esse. Dionysius enim cum in omni disputatione de generibus, tum in medio genere invitus prodit rem sibi satis incertam esse neque universam generum compositionis rationem ab omni numero esse absolutam. Ea autem est distinctionis vel obscuritas vel negligentia, ut mihi quidem non sit dubium, quin ipse Dionysius ad exemplum dicendi generum compositioni, alteri *λέξεως* parti, propria sua genera dederit. Ne de nominibus quidem apud eum constat c. 21 p. 146: *αἷς* (scilicet *συνθέσεως διαφοραῖς*) ὁ βουλόμενος ὀνόματα θήσεται τὰ οἰκεία, ἐπειδὴν τοὺς τε χαρακτηῆρας αὐτῶν καὶ τὰς διαφορὰς ἀκούσῃ. ἐγὼ μέντοι κυρίοις ὀνόμασιν οὐκ ἔχων αὐτὰς προσαγορεύσαι ὡς ἀκατονομάστους μεταφορικοῖς ὀνόμασι καλῶ κτλ. et c. 24 p. 186R: ἡ δὲ τρίτη καὶ μέση τῶν εἰρημένων δυεῖν ἀρμονιῶν, ἣν εὐκρατον καλῶ σπάνει κυρίου τε καὶ κρείττονος ὀνόματος κτλ. Pone, quaeso, ut quidam volunt, a Theophrasto haec genera fuisse appellata et explicata. Potuitne Dionysius tam incerta verba facere, si Theophrastus in libro *περὶ λέξεως* iam isdem nominibus generum usus esset. Si autem alia adhibuisset, cur Dionysius nova, ne sibi quidem satis probata effingeret?

Ad duo priora genera, *αὐστηρόν* et *γλαφυρόν*, describenda facilius uti potuit exemplo generum dicendi. Itaque de iis uberius est disputatio, medium autem genus, cui Dionysius palmam dat, ut quod utriusque generis virtutes comprehendat, ex Peripateticorum 'medio', quod verum et optimum est inter extremas partes per se fugiendas, ortum esse nemo non videt. Insuper rhetor eos advocat auctores (c. 24 p. 186R). Haec autem *μεσότης* nequaquam erat genus quoddam dicendi, neque habet Dionysius, quomodo illum *χαρακτήρα* describat: *σχῆμα μὲν ἴδιον οὐδὲν ἔχει¹⁾, κεκέρασται δὲ πως²⁾ ἐξ ἐκείνων μετρώως³⁾ καὶ ἔστιν ἐκλογὴ τις τῶν ἐν ἑκατέρῳ κρατίστων.*

1) Cf. c. 24 p. 186R: οἱ τε χρῆσάμενοι αὐτῇ οὐ τὰ αὐτὰ πάντες οὐδ' ὁμοίως ἐπετήθευσαν, ἀλλ' οἱ μὲν ταῦτα μᾶλλον, οἱ δ' ἐκείνα, ἐπέτεινάν τε καὶ ἀνήκαν ἄλλως ἄλλοι τὰ αὐτά. Quae cum ita sint, non mirum est exempla medii generis nulla tractari p. 188: παραδείγματα γὰρ τούτων οὐκ οἶμαι δεῖν φέρειν, φανερῶν πάντων ὄντων καὶ οὐδὲν δεομένων λόγου.

2) ὡς EF, ita editio U—R. Sed malo cum PMV, quam codicum stirpem nonnunquam paulo minoris nova editio mihi aestimasse videtur, legere *πως*, quo vocabulo incerta et dubia medii generis ratio ab ipso Dionysio significatur. Respondet *ἐκλογὴ τις*.

3) Hoc loco duas sententias, quasi eiusdem rationis essent, composuit. Revera altera impugnat alteri. Nam genera extrema aut miscentur, ut novum genus medium oriatur, aut ex utroque optima quaeque eliguntur (cf. c. 21 p. 146R). Addidit autem vocabulum *μετρώως*, ut deinceps peripateticam *μεσότητα* cum hoc medio genere coniungere posset.

Sed de Dionysii generibus compositionis satis dictum est. Probat enim ipsa libelli dispositione *χαρακτήρας* et omnem partem, in qua collocati sunt, ad *μίμησιν* et ad rationem librorum criticorum pertinere. Haec autem ratio a Theophrasto aliena erat. Quae cum ita sint, summa doctrinae, quam Dionysius in libro de compositione verborum sequitur, ne ad Theophrastum referatur, cavendum est. Neque casu factum puto esse, ut unicum fragmentum Theophrasti, quod in libro *περὶ συνθέσεως* cum nomine auctoris reperitur, sine ullo dubio ex Theophrasteo capite *περὶ ἐκλογῆς ὀνομάτων* depromptum sit (c. 16 p. 101 R).

Non multo post librum de compositione Dionysius scripsit de Demosthenis facultate dicendi.¹⁾ Atque mihi quidem de Dionysii verbis (Demosth. c. 2 p. 956 R) cogitanti: *τίς δὲ ἦν ἡ προαίρεσις αὐτοῦ* (scil. *Λυσίου*) *καὶ τίς ἡ δύναμις, ἐν τῇ πρὸ ταύτης δεδήλωται γραφῇ καὶ οὐδὲν δεῖ νῦν πάλιν ὑπὲρ τῶν αὐτῶν λέγειν* — dubium non est, quin librum, quem tenemus, eum putare debeamus, quem se de Demosthene scripturum esse Dionysius promisit de vet. orat. cens. c. 4 p. 451 R. Illud prooemium scriptum est tribus prioribus iudiciis absolutis, cum prius volumen ad editionem pararetur, recentiores autem tres oratores nondum tractati erant.²⁾ Postea statim ad Demosthenem transgressus est, Hyperiden et Aeschinen proprio iudicio explicatos esse non credo, quamvis id simulent verba Dionysii, quae ineunte libello de Dinarcho leguntur.³⁾ Quin etiam Demosthenis iudicium non ad finem perductum est. Deest enim *πραγματικὸς τόπος* omnis, quem in prioribus iudiciis non

1) Ita ego quoque de temporibus iudico, etsi plurimi librum de compositione multo prius scriptum putant, etiam ante iudicia de Lysia, Isocrate, Isaeo. Qua de re nunc dicit Nassal: *Ästh.-rhet. Beziehungen zwischen Dionys. H. und Cicero* p. 8.

2) Vide extrema verba prooemii de vet. orat. cens. Unum autem esse corpus primae *συντάξεως* ab illo prooemio usque ad finem iudicii de Isaeo in editionibus falso distractum, iudicia de Aeschine et Hyperide nunquam a Dionysio scripta esse exposuit Wilamowitzius in satura critica *Hermae* vol. 34, 625 sqq. Idem de Theophrasto: „Man erkennt leicht, daß er sich die Schrift des Theophrast *περὶ λέξεως* vornahm, deren weitschauende stilistische Urteile allgemeiner Art es bewirkt haben, daß Dionys so viele Proben, auch von Stilmustern, die er im ersten Buche herangezogen hatte, vorlegt und bespricht“. Nos vero demonstrare studemus Theophrasti auctoritatem multo magis valuisse in prioribus tribus iudiciis, Dionysium autem in iudicio de Demosthene Lysiam et Isocratem denuo in census vocavisse, quia mutata iudicandi ratione Attici cum uno Demosthene comparandi erant.

3) C. 1 p. 629 R: *Περὶ Δεινάρχου τοῦ δήτορος οὐδὲν εἰρηκὸς ἐν τοῖς περὶ τῶν ἀρχαίων γραφεῖσιν διὰ τὸ μῆτε εὐρετὴν ἰδίον γεγονέναι χαρακτήρος τὸν ἄνδρα, ὡς περ τὸν Λυσίαν καὶ τὸν Ἰσοκράτην καὶ τὸν Ἰσαῖον, μῆτε τῶν εὐρημένων ἑτέροις τελειωτῆν, ὡς περ τὸν Δημοσθένη καὶ τὸν Αἰσχίνην καὶ τὸν Ἰππερίδην ἡμεῖς κρίνομεν.*

neglexit. Supplementum iudicii, quod eam partem complectatur, extremis verbis de Demosth. c. 58 p. 1129R in posterum tempus promittit.

Sed utut est de ordine librorum — de hac re nunc non quaerimus — illud apparet artis rationem, de qua nobis quaestio est, non eandem subesse iudicio de Demosthenis facultate dicendi, quam invenimus (c. VI) in iudiciis de Lysia, de Isocrate, de Isaeo.

Consilium operis de veteribus oratoribus incepti omnem Atticorum orbem complexum est ita, ut secundum temporum ordinem optimus quisque eligeretur et illustraretur c. 4 p. 451R: πολλῶν πάντων ὄντων καὶ ἀγαθῶν τὸ μὲν ὑπὲρ ἀπάντων γράφειν μακροῦ λόγου δεόμενον ὄρων ἐάσω, τοὺς δὲ χαριεστάτους ἐξ αὐτῶν προχειρισάμενος κατὰ τὰς ἡλικίας ἐρωῶ περὶ ἐκάστου. Ad imitationem autem dicendi studiosis iudicia accommodavit. Itaque ea subest imitandi ratio¹⁾, quae ex multis probatis auctoribus proprias uniuscuiusque laudes decerpere iubet imitantes, qua in ratione omnes oratores Attici in una bonorum factione numerabantur, cum altera esset factio novorum et Asianorum. Aliud certamen est in libro de Demosthene. Demosthenes enim ea disputatione minus Asianis opponitur quam reliquis Atticis oratoribus, quare ea est quaestio, quis inter Atticos principatum obtineat. Etsi Dionysius ipse se refellere non vult, tamen ratio nos cogit comparatione cum Demosthene facta tria iudicia primae συντάξεως evertere. An quemquam dicendi studiosum ad Isocratem vocemus, ut imitetur, cum libro de Demosthene probatum sit omnes eius laudes apud Demosthenem reperiri ita tamen, ut ἀμαρτήματα evitentur?

Neque ad Lysian confugiendum est, quoniam Demosthenis opera satis multa et praeclara eiusdem generis exempla offerunt. Quid omnino Isaeus, qui Demostheni viam ostendit, ut magister praeclariori discipulo (De Isaeo c. 20 p. 628R)?

Sequitur, ut imitationis ratio, qua nititur liber de Demosthene, unum optimum auctorem commendet, quem prae ceteris adulescentes sequantur. Nonne consilium, quod initio cepit, Dionysius ita missum fecit, ut omnem orbem Atticorum in unum cogeret?²⁾ Nonne certamen ita mutatum est, ut unus Demosthenes alteram partem teneret, alteram

1) Quam primam nos appellavimus in capite de generibus dicendi supra p. 89.

2) Qui ita de Demosthene disputavit, eum postea Aeschinen et Hyperiden imitationi commendavisse non credo. In Dinarcho is finis, qui in prioribus iudiciis summus erat, imitationem dico, grammaticae disputationi, quis esset Dinarchus, quae eius scripta, locum cessit.

reliqui Attici, Asianorum autem exercitus iam pulsus esset in sua βάραθρα τῆς Ἀσίας¹⁾ (c. 1 p. 447R)?

Lysiam probatum esse auctorem Dionysius per se putat constare neque id agit, ut eius praestantiam denuo argumentis probet, sed ut rationem, qua utitur, explicet et imitationem doceat. Itaque Lysias omnis ex sua facultate et suis operibus illustratur eique forma quaedam dicendi propria conceditur: *Λυσιακὸς χαρακτήρ*. Sed eum esse eundem, quem technici vocant *ἰσχρόν*, in quo complures fuerunt praeter Lysiam, in hoc libro non exponitur. Eadem ratione Dionysius de Isocrate et Isaeo ex propria utriusque dicendi forma iudicat. Ne in epilogo quidem prioris *συντάξεως* (de Isaeo c. 19sq.), ubi nomina eorum, quos neglexit, breviter percenset, eos in ordinem trium generum disponit, sed et afferuntur Isocratis similes et *οἱ τοὺς ἀκριβεῖς προαιρούμενοι λόγους*, quorum *ἀρχέτυπος* Lysias fuit.

Hanc rationem, qua unumquemque oratorem per se ipsum explicavit, in libro de Demosthene sprevit Dionysius: Demosthenem laudare studet comparatis omnibus, qui inter veteres Atticos nomen habuerunt. Ita enim de indole libri ipse nos docet c. 33 p. 1058R: *Ἡ πρόθεσις ἦν μοι καὶ τὸ ἐπάγγελμα τοῦ λόγου κρατίστη λέξι καὶ πρὸς ἅπασαν ἀνθρώπου φύσιν ἠρμοσμένη μετριώτατα Δημοσθένει κεχρημένον ἐπιδειξαι, καὶ τοῦτό γε συνάγειν ἐπειρώμενη οὐκ ἐξ αὐτῆς ἐκείνης μόνης τὰς πίστεις διδούς (ἦδειν γὰρ ὅτι οὐδὲν αὐταρκές ἐστιν ἐφ' ἑαυτοῦ θεωρούμενον, οἷόν ἐστι, ὀφθῆναι * καὶ καθαρῶς), ἀλλ' ἀντιπαρτιθεὶς αὐτῇ τὰς τῶν ἄλλων ῥητόρων τε καὶ φιλοσόφων λέξεις τὰς κρατίστα δοκούσας ἔχειν καὶ τῇ δι' ἀλλήλων βασάνῳ φανεράν ποιῶν τὴν ἀμείνω. Ἴν' οὖν τὴν φυσικὴν ὁδὸν ὁ λόγος μοι λάβῃ, τοὺς χαρακτήρας τῶν διαλέκτων τοὺς ἀξιολογωτάτους κατηριθμισάμενη καὶ τοὺς πρωτεύσαντας ἐν αὐτοῖς ἄνδρας ἐπῆλθον, ἔπειτα δεύξας ἀτελεῖς ἅπασας ἐκείνους καὶ καθ' ὃ μάλιστα ἀστοχεῖν ἕκαστον ὑπελάμβανον τοῦ τέλους, ἐκλογισάμενος διὰ βραχέων, ἦλθον ἐπὶ τὴν Δημοσθένει. Genera igitur Demosthenis causa enumerantur cf. p. 974R: οὗ δὴ χάριν τοὺς τε χαρακτήρας τῆς λέξεως, οὓς ἠγούμην εἶναι κρατίστους,*

1) Ex Ciceronis oratore intellegitur quaestionem de Demosthenis principatu ad Atticismi doctrinam plurimum valuisse. Apud illum adhuc sub iudice lis erat, apud Dionysium insignis prae ceteris dicendi ratio Demosthenis iam recepta erat inter Atticismi leges. Ciceronis adversarii, qui se solos putant veros Atticos, Lysian colunt et Demosthenen parvi aestimant. Dionysius, qui prooemio περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων acerrimo Atticismi studio se flagrare ostendit, Demostheni palmam sine dubitatione dedit. Ita fere recentiores Graeci Attici, Romae autem severius genus, quod ad ἀρχαιοτέρους redire voluit, non exstinctum est, ne Ciceronis quidem exemplo aut praeceptis.

καὶ τοὺς δυναστεύσαντας ἐν αὐτοῖς κατηγορησάμεν. Ut Ciceronis Oratori quaestio proposita est, quis optimus sit orator, eaque trium generum auxilio solvitur, ita Demosthenem optimum Atticorum Dionysius demonstrat, cum in tria genera reliquos disposeret et ita dispositos ad comparationem vocaret.

Iam Theophrasti si meminimus, hoc non dubium est, quin et imitationis ratio et unius oratoris prae ceteris praestantia a philosophi nostri aetate et studiis rhetoricis abhorreat. Neque solum ipsa artis forma in recentiorum rhetorum certaminibus posita, sed etiam haec tanta Demosthenis aestimatio ab illo aliena est. At dixerit quispiam etiam novis studiis veterem doctrinam usui esse, quare singula quidem iudicia Dionysio danda, tria genera reddenda esse Theophrasto inventori. Cui Dionysius, modo bene audiamus, ipse contradicit, cum genera confiteatur non debere coniungi cum virtutibus dicendi; atqui virtutes Theophrasti esse satis constat. Quod ut intellegamus, adeundum est caput 33 libri de Demosthene, quo loco accurata sane interpretatione nobis opus est, quoniam lacunis verborum contextus est depravatus.

Dionysius postquam tria genera tractavit atque usus Demosthenici rationem reddidit, pauca se additurum esse promittit, priusquam ad σύνθεσιν, alteram partem τῆς λεκτικῆς θεωρίας, transeat: Ὀλίγα τούτοις ἐτι προσθεῖς περὶ τῆς λέξεως, ἐπὶ τὸ καταλειπόμενον τῆς *** θεωρίας μέρος μεταβήσομαι, ταῦτα δὲ ἔστιν, ἃ τοῖς τρισὶ πλάσμασιν ὁμοίως παρέπεται καὶ ἔστι παντὸς λόγον Δημοσθενικοῦ μηνύματα χαρακτηριστικὰ καὶ ἀνναφαρτα (c. 33 p. 1060R). Si capitulum seriem reputas, τὸ καταλειπόμενον μέρος esse σύνθεσιν, quae inde a capite 35 incipit, apparet. Sequitur, ut illud ταῦτα δὲ ἔστι κτλ. referendum sit ad ὀλίγα, non ad καταλειπόμενον μέρος, quare haud scio an editori rectius ante ταῦτα graviore distinctionis signo utendum fuerit. At quae est illa pars quam post tria genera adiungendam sibi putat esse? Demosthenis facultas dicendi iam ad generum canonem ita illustrata est, ut comparatio fieret cum reliquis, quibus praestaret Atticis oratoribus.

Restat igitur, ut ratio dicendi, qua usus sit Demosthenes, ex se ipsa demonstraretur eiusque laudes propriae, quales fuerint in omni oratione et omni parte orationis, missa generum partitione demonstrantur. Haec sunt: ἃ τοῖς τρισὶ πλάσμασιν ὁμοίως παρέπεται. Scimus eam doctrinam λέξεως, quae simplicem instituendae artis rationem conservet, virtutibus Theophrasteis contineri, et revera Dionysius alio loco, ubi eadem fere verba repetit, pro dubia voce ἃ certum nomen reponit p. 1062R: τὰς κοινῇ παρακολουθούσας πᾶσι τοῖς πλάσμασιν ἀρετάς.

Consilium Dionysii comparato Tullii Oratore illustratur, qui liber propter rationis similitudinem ad interpretationem iudicii de Demosthene bene adhibetur.¹⁾ Cicero quoque optimum, quem quaerit, oratorem primum ex tripartita trium generum facultate explicat. Sua cuiusque generis ratio describitur, deinde definitur: „Is est enim eloquens, qui et humilia subtiliter et alta graviter et mediocria temperate potest dicere.“ Haec igitur pars Oratoris conferenda est cum prima parte libri de Demosthene, quae est de tribus generibus²⁾ (c. 1—33). Ea autem Tullius non contentus postquam in rebus et instrumentis oratoris paulum moratus est, ad λέξις rexit, ut ea quae dispersa sunt in disputatione, in unam optimi oratoris effigiem colligat, vel ut Graece dicam, ἀ τοῖς τρισὶ πλάσμασιν ὁμοίως παρέπεται. Haec est ratio capitum 39 et 40 Oratoris (§ 134sq.). Quod vero virtutes non nominantur, specie magis quam re diversum est. Ciceroni quaestio, de qua certatur, unice curae est, ea autem de ornatu, quarta Theophrasti virtute, agitur. Itaque ad summam optimi oratoris adhibet solum ornatum. Theophrasti tamen doctrinam subesse ex subdivisione ornatus perspicitur, cum eadem tria capita inveniamus, quae apud Theophrastum partes erant μεγαλοπρεπείας, ἐκλογὴν scilicet, ἄρμονίαν, σχήματα. Amplissimum sane spatium hoc loco figuris Cicero dedit, sed causam brevitatis in reliquis cognoscimus, quoniam electionem verborum absolvit in generibus describendis³⁾, de compositione postea plura est dicturus (Or. 140 sq.). Nihilominus quartae virtutis partitionem ea pars Oratoris exhibet, quin etiam ipsum virtutum nomen adest.⁴⁾

Consilium igitur huius Tulliani capituli⁵⁾ consentit cum ea parte libri de Demosthene, de qua disputamus, nisi quod Cicero etiam rerum rationem habet, Dionysius πραγματικὸν τόπον omittit, Cicero elocutionis ornatum solum tractat, omnes virtutes Dionysius. Tamen is promissum

1) De propinquitate Dionysii cum Cicerone nunc accurate disputat Nassal: Aesthet-Rhetor. Beziehungen zwischen Dionys. v. Hal. und Cicero. Diss. Tübingen 1910.

2) Aliqua est differentia, quia medium genus Dionysii non solum floridum complectitur, ut apud Tullium, sed etiam μεσότης Peripateticam, quae temperat duo reliqua genera. Cicero autem supra tria genera novum genus optimum collocat.

3) Quorum descriptio ad cognoscendam optimi oratoris formam sufficere confitetur „Sed iam forma ipsa restat et χαρακτήρ ille, qui dicitur, qui qualis esse debeat ex ipsis, quae supra dicta sunt, intellegi potest“ (Or. 134).

4) Etiamsi liberior sit usus, quam apud Theophrastum. Nam brevitatis (βραχυλογία hoc loco intellegenda est, non συντομία) ἐνάργεια etc. ut contextus docet, a Cicerone inter σχήματα numerantur.

5) Quod etiam ad Tulliani Oratoris ordinem, de quo certatur, intellegendum nonnihil valet.

non facit; neque enim ea exponit, ἀ τοῖς τρισὶ πλάσμασιν ὁμοίως παρέπεται, quia non potuit rhetor Halicarnasensis, quamvis bene sciat diversa confundere, generum et virtutum rationem alteram praeter alteram in unum disputationis corpus coniungere, nisi humano capiti cervicem equinam addere ausus esset. Etiam Cicero confiteri debet in generum descriptionem iam ea dispersa esse, quae iterum in unam formam contrahere voluit (Or. 134). Sed quia parvo suo libello omnem campum artis peragrat, minus offendimur. Contra Dionysius unius λέξεως singula praecepta tractat. Si hic consilium, quod se concepisse fatetur, peregisset, de Demosthene post generum descriptionem idem iudicium scribere debuit, quale scripsit de Lysia, de Isocrate, de Isaeo, usus doctrina virtutum. Tum autem duo libri facti essent, quorum alter alterum reddidisset supervacuum. Hoc Dionysium non fugit, itaque illud iudicium, quod secundum priorem rationem etiam de Demosthene ferre in animo habebat, omnino non conscripsit, neque ulla pars libri de Demosthene cum tribus prioribus iudiciis conferri potest, nisi noster locus capitis 34, si ad ea attendis, quae exponere voluit, non ad ea, quae confundendis disciplinis revera protulit.

Nam Dionysius cum praeter genera ἀρετὰς sincera ratione afferre se non posse perspexerit, virtutes, quas κοινῇ πᾶσι τοῖς πλάσμασι παρακολουθούσας esse non ignorat, contra naturam peccans in tres ordines per tria genera distribuit. Digna est eiusmodi partitio, in quam acriter invehatur, neque bonae se conscientiae esse Dionysius prodit, cum suae rationi defensionem adiungat, quae sic incipit: Εἰ δέ τις ἀξιώσει συνοφαντεῖν τὴν διαίρεσιν, ἐπειδὴ τὰς κοινῇ παρακολουθούσας πᾶσι τοῖς πλάσμασιν ἀρετὰς τρία διανείμασα τὸ ἴδιον ἐκάσταις ἀποδίδωσιν κτλ. Qui Dionysii rationem disserendi non ignorat, certum testimonium audit, et quae fuerit usitata ratio virtutum et quantum virtutes distent a trium generum distributione.

Ita igitur virtutes tractat, ut sit ἀνακεφαλαίωσις partim generum, partim ἀρετῶν. Nam singula omnino desunt in virtutibus. Primum ex tribus generibus afferro exemplum: Δοκεῖ δὴ μοι τῶν μὲν ὑψηλῇ καὶ περιττῇ καὶ ἐξηλλαγμένῃ λέξει κεχορημένων κατὰ τὸ σαφέστερον καὶ κοινότερον τῇ ἐρμηνείᾳ κεχορησθαι προὔχειν ὁ Δημοσθένης. Reperis virtutem σαφηνείας, collocatam in grandi generi, quia in eiusmodi elocutione difficilius observatur. Demosthenes autem ea ceteris grandibus oratoribus praestitit. Eadem ratione πρόπον in medio genere ponitur, non quo σαφές et πρόπον non per omnes Demosthenis orationes fusum sit, sed quia Dionysius ita rem apertius quam servata virtutum ratione dispo- nere sibi videbatur: Ὅτι καθ' ὃ μάλιστα χωρίον ἐκάστη τῶν ἀρετῶν

ὄψιν τε ἡδίστην ἔχει καὶ χρῆσιν ὠφελιμοτάτην, κατὰ τοῦτο τάττειν αὐτὴν ἀξιῶ (c. 34 p. 1062R) πεφυκότα μὲν καὶ τοῖς ἄλλοις παρακολουθεῖν πλάσμασι, κρατίστην δὲ ὄψιν ἔχοντα καὶ ἐκπρεπεστάτην ἐν τούτοις τοῖς χωρίοις (c. 34 p. 1061R), et de dispositione: ἴν' εὐσύνοπτος μᾶλλον γένηται μοι ὁ λόγος (c. 34 p. 1060R). Alteri rationi obtrectandum erat aut virtutibus aut generibus, si omnino in eadem disputatione ambo componebantur. Dionysius cum genera, quibus ei opus erat, ut optimum demonstraret Demosthenem, adhibere pergeret, virtutes autem iis subiceret, perspicuitati certe disputationis et libelli sui ordini prospexit, sed artem confudit et virtutes minime distrahendas in genera distraxit.¹⁾ Ne hac quidem ratione cognoscendae Demosthenis facultati dicendi magnopere subvenit. An est quisquam, qui perlectis capitibus 1—32 ex capite 34 nova se περὶ λέξεως Δημοσθένους comperisse fateatur? Sed quo minus Dionysio contigit, ut id quod voluit, assequeretur, eo apertius nos discimus, quae inter genera et virtutes intercedat discordia. Is qui infestas factiones temptavit conciliare, nihil profecit sed dissecuit ἀρετῶν vivum et validum corpus in membra mortua, qualia in generum tres partes dispergi possent.

Intellegere equidem non possum, qua ratione adductus Mayerus ea, quae Dionysius de coniunctione ἀρετῶν cum generibus quasi ineptire se confitetur et ita defendit contra sycophantas, ut ipsius εὔρημα esse satis appareat²⁾, ad Theophrastum sit ausus referre. Dionysio certe hoc crimen non tribuendum est, quippe qui non simulet se nota et trita aut auctoritate magni nominis praedita proferre.³⁾ Quoniam nos quoque λέξεως ἀρετᾶς cum virtutibus narrationis comparavimus (c. IV), nostra interest videre, qua ratione iis abutatur Dionysius ad falsam suam distributionem virtutum dicendi defendendam. Contendit enim nihil aliud se facere quam eos τεχνουργοὺς, qui in narratione de perspicuitate brevitate, probabilitate praecipiant, quamquam κοινῇ παρακολουθοῦσιν πᾶσι τοῖς μέρεσιν, ut similibus verbis atque ille in virtutibus utar. Nos ex historia virtutum διηγήσεως scimus eas magis ad πραγματικὸν τόπον

1) Non quattuor Theophrasti virtutes, sed varias illas, quas ex iudiciis de Lysia, de Isocrate cognovimus (c. VI), etiam in hac parte libri de Demosthene invenimus.

2) Si Theophrasti rationem secutus esset, quidni omnes adversarios eo tam praeclaro auctore refutasset?

3) Mayerus extremis p. 19 verbis confitetur Dionysium utramque elocutionis instituendae rationem male confundere („ideas et χαρακτήρας male confundens“). Tamen partitionem, qua nititur Dionysiana ista confusio, Theophrasto tribuit et suis somniis indulget, ut imaginem rationis Theophrasteae excogitet p. 18sq. adnot. 15.

pertinere et vera indole narrationi proprias esse. Sane confusio deinde facta est. Sed infeliciter accidit Dionysio, quod suam confusionem defendere et probare studet confusione paulo vetustiore illa quidem, at non minus falsa. Utraque ex nefasto matrimonio orta est quasi Minotaurus rhetoricus, sed hoc, quod a Dionysio iunctum est, inhonestius etiam est, quam illud, quod alii ante eum iunxerunt.

Quae cum ita sint in libello de Demosthene, cumque virtutum ordinem ipse Dionysius confiteatur se mutavisse et in novam iudicandi oratoris rationem per vim inculcavisse, iam constat, quam caute singula fragmenta Theophrasti ex eo libro excerptenda sint. Nemo enim nescit eadem verba varie intellegi in diverso sententiarum contextu posita. Quoniam igitur vidimus apud Theophrastum sine dubio virtutes esse tractatas, eas a Dionysio esse dissectas et divisas et in alium contextum illigatas, indolem porro iudicii de Demosthene lati et imitationis doctrinam, qua nititur, recentiorem Aristotelis discipulo esse, unumquodque fragmentum, quod a Theophrasto petatum esse Dionysius dicit, non solum ita interpretabimur, ut Dionysii ratio offert, sed verba ipsa per se perpendebimus, quid sibi velint.

Unum autem in toto libro Theophrasti fragmentum invenitur, sed gravissimum hoc esse inde cognoscitur, quod eo solo usi sunt, ut probarent tria genera a Theophrasto esse exposita. Dionysius enim postquam duo genera, ὑψηλόν et λιτόν (ἰσχνόν), tractavit, hoc modo pergit (p. 958R c. 3): Τρίτη λέξεως <ιδέα> ἦν ἡ μικτή τε καὶ σύνθετος ἐκ τούτων τῶν δυεῖν¹⁾, ἦν ὁ μὲν πρῶτος ἀρμολάμενος καὶ καταστήσας εἰς τὸν νῦν ὑπάρχοντα κόσμον εἰ τε Θερασύμαχος ὁ Καλλιχιδόνιος ἦν, ὡς οἶεται Θεόφραστος, εἴτε ἄλλος τις²⁾, οὐκ ἔχω λέγειν (Frgm. IV Sch. p. 6M). Primus Westermann (Gesch. d. Bereds. I p. 170 et adnot. 8) etsi non sine dubitatione ex hoc loco Theophrasto tribuit tria genera, multo magis Dionysianis verbis confisus est Rabe et plurimi, de quibus in capite primodiximus, eum secuti sunt. Si Dionysii usum verborum Theophrasteorum fidelem putas et una cum illis recipis, haec sententia vera videtur esse. Sin autem Halicarnasensis rhetoris rationem nobiscum persecutus es et vim, quam vetustiori doctrinae iniecit, cognovisti, ipsa Theophrasti verba sine confinio Dionysiano per se reputabis. Quod ne denuo accurate incipiamus neve γλαυκᾶς Ἀθήναςε feramus, nobis permittit Americanus vir doctissimus Hendrickson, qui acri, quo solet, iudicio usus demonstravit nihil ex ipsis verbis, quae Theophrastea esse constaret, concludi

1) δυοῖν nescio cur Mayerus scripserit. •

2) Non interpunxit Mayerus.

posse nisi Thrasymachum ab eo auctorem *μικτῆς λέξεως* et *μεσότητος* cuiusdam esse laudatum.¹⁾ Hanc autem *μεσότητα* ab Aristotele et ab ethicis Peripateticorum studiis profectus ad virtutum doctrinam certis argumentis defert.

Modo coniunctionem inter genera et virtutes falso factam rursus dissolvamus, facile videbimus, qua ratione Dionysius Theophrastea in suum usum converterit. Medium Theophrasti intercedebat inter *ιδιωτικὸν λόγον* et oratoriam dictionem *κατασκευῆ* ornatam, ne ornamentis fidem amitteret oratio neve vim simplicitate. Explicatur illud medium in rhythmico fragmento a Demetrio servato. Ut Aristoteles, ita discipulus paeona commendat Demetr. 41: *παρалаβεῖν μέντοι τὸν παῖωνα εἰς τοὺς λόγους, ἐπειδὴ μικτός τις ἐστὶ καὶ ἀσφαλέστερος, τὸ μεγαλοπρεπὲς μὲν ἐκ τῆς μακροῦς λαμβάνων, τὸ λογικὸν δὲ ἐκ τῶν βραχειῶν.*²⁾ Et in libro de compositione verborum et in iudicio de Demosthene Dionysius hanc Peripateticam inter *virtutes μεσότητα* medio *generi* inculcavit. Interdum de medio inter genera dicit, velut c. 5 p. 965R: *ἡ δὲ δὴ Πλατωνικὴ διάλεκτος βούλεται μὲν εἶναι καὶ αὐτὴ μίγμα ἐκατέρων τῶν χαρακτήρων, τοῦ τε ὑψηλοῦ καὶ ἰσχυροῦ*, interdum etiam de medio inter virtutes, ut c. 3 p. 959, postquam Isocratem et Platona medii generis exempla attulit: *τούτων γὰρ ἀμήχανον εὐρεῖν τῶν ἀνδρῶν ἑτέρους τινὰς ἔξω Δημοσθένους ἢ τὰναγκαῖα καὶ χρῆσιμα κρεῖττον ἀσκήσαντας* (τὸ *λογικόν* in fragmento Theophrasti supra laudato) *ἢ τὴν καλλιλογίαν καὶ τὰς ἐπιθέτους κατασκευὰς βέλτιον ἀποδειξαμένους* (τὸ *μεγαλοπρεπὲς* in fragmento Theophr.). Ex hac tam ancipiti ratione fit, ut Demosthenes in eodem genere cum Platone et cum Isocrate numeretur. Quamquam ne eius quidem coniunctio cum medio genere satis dilucida est et firma. Partim in ipso genere collocatur atque hoc totius libri argumentum est, partim tamen supra omnia tria genera tollitur et medium non minus superat, quam cetera duo, similiter ut in Oratore Tulliano. Hoc quoque Hendricksonius recte animadvertit floridam medii generis formam, qualem, ut unum afferam, Cicero describit in Oratore, sub nova facie non plane latere (p. 143 loc. cit.).

Accedit denique, quod diversa testimonia, quibus quid Theophrastus de eodem oratore iudicaverit, nobis traditur, si genera ei tribuimus, nullo modo in certam rationem componi possunt, ad virtutes autem, quales altero capite cognovimus, omnia quadrant.

1) A. J. Ph. XXV p. 126sq.: „Theophrastus recognized Thrasymachus as the author of a *μικτῆ λέξις* or a *μεσότης*, and before proceeding to other inference it must be our task to ascertain the meaning of this one piece of evidence.“

2) Plura Hendrickson p. 137.

Totum genus *ισχνόν* nititur Lysiae exemplo, qui *τελειωτής* est et quasi *ἀρχέτυπος τῶν παραπλησίων* (de Isaeo c. 20 p. 628). Quid quod Theophrastus Lysiam vituperat propter nimia ornamenta et poeticum genus verborum de Lys. c. 14 (p. 483R): *Καὶ θαυμάζειν ἄξιον, τί δή ποτε παθὼν ὁ Θεόφραστος τῶν φορτικῶν καὶ περιέργων αὐτὸν οἶται ζηλωτὴν γενέσθαι λόγων καὶ τὸ ποιητικὸν διώκειν μᾶλλον ἢ τὸ ἀληθινόν*. Sane quidem postea non de toto genere Lysiano, sed de figurarum apud eum copia iudicium Theophrasti affertur¹⁾, sed hoc quaero, num Dionysius ea, quae exscripsi, verba dicere potuerit, si Theophrastus revera Lysiam exhibuit exemplar *ισχνοῦ χαρακτήρος*. Nemo, puto, de responso dubitabit. Immo vero eandem partitionem, quam in Theophrastea disciplina saepe iam invenimus, hoc quoque loco cognoscimus inter τὸ ποιητικόν et τὸ ἀληθινόν. Gorgianae dictioni (cf. etiam Aristot. Rhet. III 1404a25) nimis indulsisse Lysiam dixit Theophrastus et, si Demetrii fragmentum de frigido comparamus, apparet eum inter *ψυχρούς*²⁾ numeratum esse, quia *ὑπερβάλλει τὴν οἰκειαν ἀπαγγελίαν*. His enim verbis teste Dionysio usus est Eresius: *φαίνεται ἀπρεπὲς σπουδάζοντα τοῖς πράγμασι τοῖς ὀνόμασι παίξειν*. Lysias igitur veram *μεσότητα*, quam Thrasy-machus Theophrasto iudice praestabat, non est assecutus, non quia nimis tenue genus adhibuit, sed quia nimis grande et poeticum.

Ne in Thrasy-machus quidem eo, cuius propter iudicium genera Theophrasto adsignantur, ratio Dionysiana intellegitur, si Theophrastus eum revera *medii generis* auctorem et quasi *εὐρετήν* esse docuit. Nam

1) Dionysius hoc fragmentum ex Theophrasteo capite *περὶ σχημάτων* deprompsit, satis autem amplum locum excerpserit, ut perspiciamus, qua ratione et quibus libri locis Theophrastus iudicia de oratoribus tulerit. Si enim genera tractasset, hac in parte iudicia collocanda erant. Nunc autem Dionysius, cum Theophrasti iudicium de Lysia exhiberet, ex capite quodam, quod ad ornatum, id est ad quartam Theophrasti *virtutem* elocutionis, pertinebat, illud iudicium expetere debuit. Itaque etiam huius fragmenti interpretatione genera a Theophrasti libro depelluntur. De divisione *ἀντιθέσεων*, qua Theophrastum usum esse probatur, egit Diels: *Über das 3. Buch der aristotel. Rhetorik*. B. B. A. 1886, 29. Mihi quidem liceat de periodo ipsa, quae una littera mihi videtur perturbata et ab auctoris sincera ratione depravata esse, pauca addere. Ita enim scribendum esse fragmentum censeo: *Τούτων δὲ τὸ μὲν ἴσον καὶ τὸ ὅμοιον παιδιῶδες καὶ καθάπερ εἰ ποίημα*.

διὸ καὶ ἦτον ἀρμόττει τῇ σπουδῇ (I)

— φαίνεται γὰρ ἀπρεπὲς σπουδάζοντα τοῖς πράγμασι τοῖς ὀνόμασι παίξειν — (a)
καὶ τὸ πάθος τῇ λέξει περιαιρεῖ (II)

— ἐκλύει γὰρ τὸν ἀκρατήν (b).

Codices et editiones exhibent *περιαιρεῖν*. Lacunis et numeris studui demonstrare, quomodo periodus a Theophrasto constructa fuerit.

2) *φορτικός* et *ψυχρός* synonyma sunt, Dionys. de Isaeo c. 20 p. 627 R, vide Geigenmüller: l. 1. p. 111.

in priore commentario *περὶ τῶν ἀρχαίων ῥητόρων*, ante σύνταξιν de Demosthene edito, in quo cum aliis locis tum in ipso Thrasymacho Theophrastum auctorem laudat, Dionysius illum medii generis principem aperte ponit in Lysiae genere c. 6 (p. 464 R): *μετὰ ταύτας ἀρετὴν εὐρίσκω παρὰ Λυσία πάνν θαναμαστὴν, ἧς Θεόφραστος μὲν φησιν ἄρξαι Θρασύμαχον, ἐγὼ δ' ἠγοῦμαι Λυσίαν . . . τίς δ' ἐστὶν ἢν φημι ἀρετὴν; ἢ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στοργγύλως¹⁾ ἐκφέρουσα λέξεις, οἰκεία πάνν καὶ ἀναγκαῖα τοῖς δικανικοῖς λόγοις καὶ παντὶ ἀληθεῖ ἀγῶνι.* At hoc iudicium Theophrasti non ad totum genus pertinet, nobis obicit Radermacherus (Mus. Rhen. 54, 379), atque nos adeo non negamus, Theophrasti testimonium de genere nihil affirmare, ut ipsi in hac re valde insistamus et ab eo de virtutibus tantum putemus dictum esse. Nihilominus constat *Dionysium* eam virtutem, quam *Thrasymacho* inventori dedit Theophrastus, ad auctorem *ἰσχυροῦ γένους* detulisse, quem ille propter granditatem nimiam vituperavit. Universum autem Thrasymachi genus in Lysianis collocat oratoribus alio loco, ad quem haud scio an Radermacherus minus attenderit. Isaeo enim tractato et priore parte absoluta catalogum addit eorum, quos silentio praeteriit, in quo non dubitat Thrasymachum in Lysiae genere numerare (de Isaeo c. 20 p. 627 R): *Τῶν δὲ τοὺς ἀκριβεῖς προαιρουμένων λόγους . . . ἐγένετο . . . καὶ Θρασύμαχος ὁ Καλχηδόνιος . . . Θρασύμαχος δὲ καθαρὸς μὲν καὶ λεπτός καὶ δεινὸς εὐρεῖν τε καὶ εἰπεῖν στοργγύλως καὶ περιττῶς, ὃ βούλεται . . . τούτων δὴ, φημί, τῶν ἀνδρῶν καὶ τῶν παραπλησίων τούτοις διαφέρειν οἰόμενος Λυσίαν καὶ ὥσπερ ἀρχέτυπον ἀπογράφων ὑπερέχειν, ἐκείνον τὸν ἄνδρα ταύτης τῆς προαιρέσεως τῶν λόγων ἐποιήσαίμην κανόνα.* Si ambo comparamus, de Dionysii priore sententia nihil dubium est. Thrasymachum cum Lysia uni generi tribuit, contra in libro de Demosthene eum Theophrasto usus in medio genere collocat.²⁾ Non video, quomodo haec non sibi impugnent, si revera Theophrastus etiam in priore libro adhibitus Thrasymachum medii generis *εὐρετὴν* appellavit. Sed omnia intelleguntur, si ex virtutum doctrina ea iudicia

1) Rabe erravit, qui *συντομίαν* significari credidit: de Theophr. libris *περὶ λέξεως* p. 43 *Στοργγύλον* ad rotundam compositionem pertinet. Recte Geigenmüller: l. l. p. 91sq.

2) Quoniam in prioribus iudiciis genera omnino non commemorat, iudicii autem de Demosthene ea fundamenta facit, complura iudicia commutata sunt. Thucydidem antea neglexit oratoribus contentus, Gorgiam se praeterisse dixit (de Isaeo c. 19 p. 625 R), quod Isocratis dicendi genus, sed peius haberet. Postea Isocrates in *μικτὸν γένος* demigravit, Gorgias et Thucydides magnifici generis exempla facta sunt. De Thrasymacho supra dictum est. Egit de differentiis Hartmann: De canone X oratt. Diss. Gott. 1891.

de Thrasymacho excerpta et a Dionysio in genera a Theophrasto aliena distributa sunt.

Lysias igitur et Thrasymachus, si testimonia accurate interpretamur, in Theophrasti libro *περὶ λέξεως* iis certe generibus, quorum *ἀρχέτυποι* a Dionysio laudantur, nondum addicti erant. Quid autem de grandi genere dicemus? Quem putabimus apud Theophrastum eius generis *ἀρχέτυπον* et *κανόνα* laudari? An Gorgian, an Thucydiden, quos Dionysius in libro de Demosthene proponit? An Demosthenen ipsum? Sed qui de generibus dicit, de hominibus, ut utar Tullii verbis (de opt. gen. 2), dicit aliquid, si vero iudicia de hominibus, quibus continentur genera apud recentes rhetores, a Theophrasti ratione iudicandi abhorrent, idem de generibus ipsis statuendum est: si personae evanescent, earum *χαρακτῆρες* una evanescent, ut nummorum non sunt *χαρακτῆρες* nisi in auri argenteve materia impressi, ut sol nullam umbram in solo delineat nisi persona quaedam eius radiis obstat.

Ex diversis partibus profecti Hendricksonius et nostra disputatio ad eundem fere finem pervenerunt. Americanus vir doctissimus statim se in Peripateticorum fines contulit¹⁾ atque ibi versatus non solum ex rhetorica parte sed etiam ex ethica tam gravia argumenta percepit, quibus Peripateticorum disciplinam *λέξεως* ad *ἀρετὴν* deferendam et generibus liberandam esse probaretur, ut inde progressus Dionysii dubium locum de medio genere Thrasymachi recte explicaret.²⁾

Nos autem, si licet dissipata et copia singularum quaestionum distracta colligere, per artis rhetoricae campos iter fecimus. Ex quinque eius partibus tertiam, quae est de elocutione, persecuti sumus et unam *λέξεως* instituendae rationem, quae virtutibus continetur, ab origine usque eo per saecula temptavimus comitari, quoad duram formam adepta in recentiorum rhetorum scriptis magis sepulta est quam vitam degit. Post Aristotelem Theophrastus virtutes dicendi quattuor numerat et certum ordinem constituit, Stoici quintam addiderunt, magnopere deinde auctum virtutum numerum et ornamenta in particulas esse dissecta, quarum suo quaeque nomine *ἀρετῆς* utebatur, Dionysianis scriptis ostenditur. M. Tullii auctoritate factum est, ut virtutes eadem simplicitate et sinceritate, qua Theophrastus eas ornavit, praeditae denuo renascerentur et apud Romanos rhetores regnarent. Graecis alter Tullius deficit.³⁾

1) „It is therefore to define some aspects of the Peripatetic conception of rhetorical style, as formulated by the two first masters of the school, that the following study is undertaken“ (p. 125sq.).

2) Vide summam disputationis l. l. p. 127.

3) Cic. De Or. III 228: „Tu vero, inquit Catulus, collegisti omnia, quantum

Quod autem ad rationem inter virtutes λέξεως et genera attinet, omnes testes magna voce contendunt elocutionem oratoriam aut in virtutes aut in genera dividi, sed alteram rationem alteri esse infestam. Virtutes ad institutionem natae dicendi studiosis certa praecepta suppeditant, genera ad iudicia de oratoribus ferenda a grammaticis instructa per μίμησιν in rhetoricam artem λέξεως sunt translata.

Gravissimus de virtutibus elocutionis testis est tertius liber Tullianus De Oratore. Eius autem rationem Theophrasteam esse Oratoris testimonio probatur. Ad Tullium Quintilianus accedit. Sed etiam ii, qui numero differunt virtutum, in eo consentiunt, quod genera a virtutibus et ab instituenda elocutione arcent. Ita Cicero in Partitionibus et in prooemio, quod appellatur de optimo genere oratorum. Etiam Auctor ad Herennium virtutes et genera etsi uno volumine comprehensa — imitationem enim praeter τέχνην et ἄσκησιν tertiam partem ab oratore postulat, — accurate tamen separat et praecepta omnia in virtutibus collocat. Mimetica scripta, quae varios et complures auctores probant, virtutibus utuntur. Eiusmodi sunt Dionysii scripta omnia praeter Demosthenem et librum de compositione verborum, in Latinis vero litteris Tullii 'Brutus'. Contra is liber Tullianus, qui genera tractat, a praeceptione λέξεως vel maxime distat, omnis ad certamina de optimo oratore instructus est, similiter res se habet in Fabii libro duodecimo, qui est περὶ ῥήτορος. Ii, qui simplicem elocutionis instituendae rationem ab imitatione oppressam renovare temptant et genera cum virtutibus coniungunt, tam confuse dicunt, ut cautus iudex ex ancipiti testimonio verum percipiat. Ita Demetrii cuiusdam περὶ ἐρμηνείας libellus χαρακτῆρας appellat et revera virtutes docet (Schmid, Mayer), omnia, quae ex Theophrasto exhibuit, certe ad virtutes pertinent, ita Dionysius in libro de compositione verborum primum rationem quartae Theophrasti virtuti similem exponit, deinde genera, sed altera ratio alteram superfluum reddit (Kroll: Rh. Mus. 62, 92). Idem in libro de Demosthene fatetur se virtutum ordinem, natura unum et communem, in partes divisisse, ut in genera antea tractata possent distribui. Talem διατρεῖσιν multos probaturos esse ipse sperare non audet.

Sed dixerit quispiam mirari se, cur multi et doctissimi viri Theophrasto et genera et virtutes tribuerint, etsi vidimus vetera testimonia

ego possum iudicare, ita divinitus, ut non a Graecis sumpsisse, sed eos ipsos haec docere posse videre." Quae verba, modo Ciceronem cum suae aetatis Graecis rhetoribus, non cum iis, quos ipse inventores artis et suos auctores appellavit, hanc intellegas comparisonem instituisse, suo iure dicta, non cum arrogantia putabis esse.

ipsa contradicere. Certe! si omnia audimus. At Dionysio uni nimis confisi sunt, reliquos testes, qui rarius nomen Theophrasti afferunt, nimis neglexerunt. Quo fit, ut idem videatur mihi perpeti noster Theophrastus, quo malo omnis artis rhetoricae memoria laborat. Recentibus rhetoribus aures praebemus et rationem, quam ii docent, accipimus, sed obliviscimur complura saecula iam ad artem formandam esse ante eos consumpta et recentes, quos nos audimus, suos thesauros non solum a patribus sed ab avis et proavis iure hereditario accepisse. Ut verum videamus, singula praecepta debemus persequi, ubi orta sint, qua ratione, cuius opera per annos mutata: tum demum historiam intellegemus. Certe non desunt in litteris rhetoricis, qui ea ratione usi sint. Sed eius rationis, quam historicam liceat appellare, Mayerus in Theophrasti fragmentis colligendis plane expers omnia comportavit, quae unquam ante Quintilianum de elocutione praecepta sunt. Accipe, quaeso, eius rationem (p. XX prolegg.): „Adnotare placet excerptum Theophrasteum a Quintiliano exhibitum id supplere, quod Cicero in ‘Oratore’ servavit. Nam ut Demetrii liber eo ipso loco incipit, ubi Ciceronis ‘Orator’ nos deficit . . ., ita Quintilianus alteram lacunam Ciceroniani excerpti complet.“ Qui libros indole et natura adeo diversos securus consuit, eum Theophrasto vestimentum induere coloribus maxime variis pictum, comicis personis accommodatius quam philosopho consentaneum est. Postquam denuo affirmavi Ciceronis libro III De Or. maximam in Theophrasto restituendo fidem habendam esse, quia hic liber et numero virtutum et indole institutionis prope ad eum accedit et ipse veterum auctoritate se uti profitetur, ad ea verba redeo, quae toti meae disputationi praeposui: „Peripatetici autem etiam haec ipsa, quae propria oratorum putas esse adiumenta atque ornamenta dicendi, a se peti vincerent oportere, ac non solum meliora, sed etiam multo plura Aristotelem Theophrastumque de istis rebus, quam omnis dicendi magistros scripsisse ostenderent“ (De Or. I 43).


Quamquam nostra disputatione Theophrastum generibus dicendi privare studemus, tamen laudem a Cicerone probatam minime volumus minuere. Quin etiam mihi persuasum est clariore luce vim et auctoritatem disciplinae Theophrasteae illustrari et melius intellegi, si ἀρετῶν λέξεως quamquam non εὐρετήν, at certe τελειωτήν eum existimare ab historia virtutum didicimus. Nemo enim rhetor, qui elocutionem post eum docuit, virtutes prorsus potuit neglegere. Romanorum ingenia ad veterum exemplorum imitationem minus alligata quam Graecorum virtutes dicendi maiore fide servaverunt, sed Graeci quoque eas in libris mimeticis adhibuerunt. Graecus Hermogenes, qui sero novum λέξεως

aedificium ex veteribus lapidibus construxit, virtutes Theophrasteas imitatus est suis ideis. Ea autem, quae inter virtutes et ideas differunt, omnia ex imitatione orta sunt, cum praeceptio λέξεως ad vetera exempla Atticorum, maxime Demosthenis accommodaretur. Sed is, qui virtutes condidit, totius λέξεως, tertiae artis partis, rationem constituit. Theophrastus non solum philosophus est, sed etiam rhetoricum sibi exegit monumentum aere perennius.

Nostra intererat ipsas virtutes cognoscere et iis ducibus viam reperire ad Theophrasti librum περὶ λέξεως. Priusquam autem huic disputationi finem tandem imponam, admonere liceat, quantum virtutum historia valeat ad nostrum de singulis scriptis et scriptoribus iudicium. Dionysium et Ciceronem affero exempla, etsi omnes non solum scriptores, sed etiam libri singuli ea ratione percensendi sunt.

Dionysius totus a sua aetate, a suae aetatis studiis et voluntatibus pendet neque se ipsum potest liberare neque id, quod est magni ingenii, vincula artis levare et novas patefacere vias. Itaque eius scripta in diem potius quam in saecula valent, veteres autem auctores, quibus ostentandae doctrinae causa usus est, ad novam rationem commutavit. Quae cum ita sint, Dionysii scripta, veram suae aetatis progeniem, ut gratissima arbitror nobis esse ad ipsa, quae tum erant, studia cognoscenda, ita non sine cauto iudicio adhiberi posse ad restituendos veteres auctores, quorum libri deperditi sunt.

Ciceronem vero in praeceptione artis rhetoricae tale ingenium, quod multum aequalibus praecurrerit, audeo existimare: is eo tempore, cum 'imitatio' Romae maxima auctoritate utebatur et omnes fere, qui prudentiae et ingenii nomen atque generis nobilitatem affectabant, in Atticorum numero ducebantur, a recta via non aberravit, sed veterum Peripateticorum rationem, qua adulescentes dicendi studiosos ad elocutionem et artificiosam et liberam perducere cognoverat, Latine docuit. Tam libri De Oratore quam Brutus et Orator contra dominantia studia dimicant et artis formam, quam magis veram et ad naturam eloquentiae magis idoneam esse non possumus non concedere, cum auctoritate magno oratore digna exponunt. Quod in Latinis litteris talis rhetor, qualis est Fabius Quintilianus, existere potuit eodem tempore, quo Graeci vinculis μιμήσεως vehementer tenebantur, Ciceroni laudi tribuendum est. Tota omnino rhetorum Latinorum manus a Ciceronis ingenio ducta est neque, dum sequitur, erravit. Ex Ciceronis autem ore facundo philosophi Graeci περὶ λέξεως doctrina ad nostram aetatem loquitur. Utinam Theophrasti interpres tibi fuerim!



**University of Toronto
Library**

**DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET**

**Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED**

